


# EPISTULA LEONINA

## CCLXVII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SEPTIMAM (267)**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-04</b>
<b>UNICA NUX PRODEST.....</b>	<b>05</b>
<b>O ABIES.....</b>	<b>06</b>
<b>ECCE ARBOR NATALICIA POLYGLOTTA!.....</b>	<b>07</b>
<b>SANCTA NOX PLACIDA NOX.....</b>	<b>08</b>
<b>DE VITA IOSEPHI MOHR POETAE CANTICI SANCTAE NOCTIS.....</b>	<b>09-16</b>
<b>NUCIFRANGIBULUM QUID SIT.....</b>	<b>17-24</b>
<b>CARMEN MAURI PISINI.....</b>	<b>25</b>
<b>CERTAMEN “TRANSVERSO CALAMO”.....</b>	<b>26</b>
<b>ALFONSUS COQUUS AD CARCEREM DAMNATUS.....</b>	<b>27-35</b>
<b>ANSER NATALICIUS MORE ALFONSINO PARATUS.....</b>	<b>36-38</b>
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>	<b>39-50</b>
<b>PRAXICOPEMA QUID SIT.....</b>	<b>51</b>
<b>PETAURUM SIVE RESULTACULUM QUID SIT.....</b>	<b>52</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>53-62</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>63-90</b>
<i>Christianus Laes (63-64) - Maurus Pisini (64-67) - Joannes Carolus Rossi (67-68) - Iohannes Petrus Knijff (68-69) - David Edwards (69) - Victorius Ciarrocchi (69-72) – Logodaedalus (73) - Ansgarius Osloensis (73-75) - Radulfus Bonaeropolitanus (75-77) - Marcus Cristini (77-79) - Urbanus Ferrarius (79-80) – Albinus Dutoya (80-81) - Gaius Licoppe (81-83) - Paulus Kangiser Chilianus Iacobopolitanus (83-84) Guglielmus Monetti (84-85) - Naeivus Sartorius (85-89)</i>	
<b>CORRIGENDA ET SUPPLENDA.....</b>	<b>90</b>
<b>VOTA NATALICIA LECTORI OBLATA.....</b>	<b>91</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>92-94</b>



QUANDO FIET **PANDYSELECTRIA?**

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

MATTHAEUS 25. 13.

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*Sanctâ Nocte Nativitatis Christi Leo Latinus tibi praebet neque bellicosa neque putativê-pandemica neque climatomanica. Saltim in litteris Leoninis sileant arma cruenta, absint mascae et siphunculi non solum inutiles sed etiam nocivi, nullus morio climatodulus Epistulae nostrae insideat natibus ad paginas agglutinatis. Hic et nunc agitur de rebus merê nataliciis. Utinam diebus festis fieri possit, ut occasiunculam nactus Leonis scripta perlustres! Leoninas paginas pervolvens noli omittere carmen **MAURI PISINI** poetae laureati! - Mente gratissimâ praebeo tibi chronogrammata piê atque artificiosê confecta necnon toto ex corde tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignê oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...Maximê tibi commendo **Vitam IOSEPHI MOHR** poetae **Cantici "Sanctae Noctis"** illustrissimi. Spero quoque te non prorsus naribus usurum esse, si perlegeris ea quae Florianus scripsit de vitâ **ALFONSI SCHUHBECK** stellati coqui olim celebratissimi, sed nunc flebiliter delapsi. Nam fit interdum ut aliquid discamus ex miseriâ non solum propriâ, sed etiam alienâ. Nec deest praeceptum coquendi ab ipso Alfonso coquo infelici excogitatum: Qui explicat, quomodo assetur et confarciatur anser natalicius quam delicatissimus.*

*Si etiam ea, quae **DE NUCIFRANGIBULIS** scripta Leo togâ ornavit, haud aspernatus eris - »sublimi feriam sidera vertice«.*

*Ceterum "EPHEMERIS", in quâ publicat Leo periodicum suum, nunc habet novam sedem interretialem:*


**<https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php>**

*Cara Lectrix, care Lector, dies festos dege pacificê et iucundê atque hilariter, pancraticê vale et perge mihi favere.*

*Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**In Vigilia Nativitatis Domini**

**24. m.Dec. a.2022**



***Strychnos nux-vomica***



**UNICA NUX PRODEST  
ALTERA NOCET  
TERTIA MORS EST.**

**REGIMEN SANITATIS SALERNITATIS  
saec.XI, Ed. Edoardo Mori a.2018.**

# O ABIES



**abiēs,-tis f.**

120,121

**Tanne – fir – sapin – abeto - abete**

ENN.Ann.189 abies consternitur alta. VERG.georg.2,68 casus abies visura marinos.. VITR.5,1,3 ut in arboribus teretibus, abiete, cupresso, pinu. LIV.24,3,4 lucus...proceris abietus arboribus saeptus. OV.met.10,94 enodis abies . IUV.3,255. - Iacobus André, *Les noms de plantes dans la Rome antique*, Paris 1985, p.1 abietem Varronis et Plinii habet pro eâ specie botanicâ, quae hodie *Abies pectinata* appellatur (synonyma botanica sunt *Abies alba*, *Abies nobilis*, *Pinus picea*).

***Abies est arbor saetis (sive acubus) acutis et semperviridibus instructa, quae a botanicis refertur in numerum Coniferarum. A Christianis solet haberi pro arbore nataliciâ.***

A pulcherrimae arboris nomine incipit glossarium nostrum. Unum ex Germaniae canticis nataliciis illustrissimis iam pridem in Latinum conversis spectat ad hanc arborem; quod inscribitur »*Oh Tannenbaum*«, eiusque textum originale et versionem Latinam en habes tabellae sequenti inscriptas:

1. O Tannenbaum, o Tannenbaum, wie treu sind deine Blätter! Du grünst nicht nur zur Sommerzeit, nein auch im Winter wenn es schneit, o Tannenbaum, o Tannenbaum, Wie treu sind deine Blätter!	2. O Tannenbaum, o Tannenbaum, du kannst mir sehr gefallen! Wie oft hat nicht zur Weihnachtszeit ein Baum von dir mich hoch erfreut! o Tannenbaum, o Tannenbaum, du kannst mir sehr gefallen!	3. O Tannenbaum, o Tannenbaum, dein Kleid will mich was lehren! Die Hoffnung und Beständigkeit gibt Mut und Kraft zu jeder Zeit! O Tannenbaum, o Tannenbaum, Dein Kleid will mich was lehren.
1. O abies, o abies, quam es fideli fronde! Aestivo vires tempore ac tum, cum ningit hieme, o abies, o abies, quam es fideli fronde!	2. O abies, o abies, quantopere me iuvas! Quam saepe iam placebas mi natali die Domini! O abies, o abies, quantopere me iuvas!	3. O abies, o abies, me vestis vult docere, ut spes det ac constantia et vires et solacia! O abies, o abies, me vestis vult docere!

# ECCE ARBOR NATALICIA POLYGLOTTA !

+  
 ++  
 "X"  
 "XXX"  
 "XXXXX"  
 "GOD JUL"  
 "BUON ANNO"  
 "FELIZ NATAL"  
 "JOYEUX NOEL"  
 "VESELE VANOCE"  
 "MELE KALIKIMAKA"  
 "NODLAG SONA DHUIT"  
 "BLWYDDYN NEWYDD DDA"  
 J"\*\*\*\*\*BOAS FESTAS\*\*\*\*\*J  
 "FELIZ NAVIDAD"  
 "MERRY CHRISTMAS"  
 "KALA CHRISTOUGENA"  
 "VROLIJK KERSTFEEST"  
 "FRÖHLICHE WEIHNACHTEN"  
 "BUON NATALE-GODT NYTAR"  
 "HUAN YING SHENG TAN CHIEH"  
 "WESOLYCH SWIAT-SRETAN BOZIC"  
 "MOADIM LESIMHA-LINKSMU KALEDU"  
 J"HAUSKAA JOULUA-AID SAID MOUBARK""J  
 "US ANUNCIO UNA GRAN ALEGRIA: "  
 "US HA NASCUT UN SALVADOR, QUE É CRIST,"  
 "LE SENYOR - OS TRAIGO UNA BUENA NOTICIA:."  
 "OS HA NACIDO UN SALVADOR EL MESIAS EL SENOR"  
 "VOICI QUE JE VIENS VOUS ANNONCER UNE BONNE"  
 "NOUVELLE: AUJORD'HUI VOUS EST NÉ UN SAUVEUR"  
 "IL EST LE MESSIE LE SEIGNEUR - ECCO VI ANNUNZIOUNA"  
 "GRANDE GIOIA: OGGI VI È NATO UN SALVATORE CHE È IL CRISTO"  
 "SIGNORE - BRING YOU NEWS OF GREAT JOY: TODAY A SAVIOUR"  
 "HAS BEEN BORN, HE IS CHRIST THE LORD - HEDEN IS U EEN REDDER"  
 "GEBOREN, CHRISTUS DE HEER, IN DE STAD VAN DAVID EIS QUE EU VOS"  
 "ANUNCIO UMA GRANDE ALEGRIA, QUE SERA PARA TODO O POVO: NASCEU"  
 "VOS HOJE UM SALVADOR, QUE É O CRISTO SENHOR, NA CIDADE DE DAVI"  
 "SEHT ICH BRINGE EUCH EINE GROSSE FREUDE DIE ALLEM VOLK ZUTEIL WERDEN SOLL: HEUTE IST EUCH IN DER STADT DAVIDS CHRISTUS GEBOREN, DER HERR!"  
 "ECCE EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM, QUOD ERIT OMNI POPULO. QUIA NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR CHRISTUS DOMINUS. IN CIVITATE DAVID."  
 J"\*\*\*\*\*N PRETTIG KERSTMIS\*\*\*\*\*J  
 "ONNZLLISTA UUTTA VUOTTA"  
 «Joyeux Noël, Bonne et Heureuse Année 2023"  
 "Merry Christmas, Happy New Year 2023"  
 "Z ROZHDESTYOM KHRYSTOVYM"  
 "NADOLIG LLAWEN-GOTT NYTTSAR"  
 "FELIC NADAL - GOJAN KRISTNASKON"  
 "S NOVYM GODOM-FELIZ ANO NUEVO"  
 "GLEDILEG JOL-NOELINIZ KUTLU OLSUM"  
 "EEN GELUKKIG NIEUWJAAR - SRETAN BOSIC"  
 "KRIHSTLINDJA GEZUAR-KALA CHRISTOUGENA"  
 "SELAMAT HARI NATAL - LAHINGU NAJU METU"  
 2023"SARBATORI FERICITE-BUON ANNO"2023  
 "ZORIONEKO GABON-HRISTOS SE RODI"  
 "BOLDOG KARACSONNY-VESELE VIANOCE "  
 "MERRY CHRISTMAS AND HAPPY NEW YEAR"  
 "ROOMSAID JOULU PUHI -KUNG HO SHENG TEN"  
 "FELICES PASUAS - EIN GLÜCKLICHES NEUES JAHR"  
 "PRIECIGUS ZIEMAN SVETKUS SARBATORI VESLLE"  
 "BONNE ANNEE -BLWYDDYN NEWYDD DDADR FELIZ NATAL"  
 ~~~~~

Vosso – sincerely – vester amicissimus  
Herbert Douteil, CSSp.

NB: Mais em – more in: [www.herbertdouteil.de](http://www.herbertdouteil.de)  
e/and [www.diocesecruzeirodusul.org](http://www.diocesecruzeirodusul.org)

**Cruzeiro do Sul, 22.12.2022**

**Caros amigos – dear friends – amici amati:**

**Meus desejos exprimo em forma de uma árvore de natal – este mesmo desejo expresso em tantas línguas diferentes vem do coração e deve chegar ao coração pois a língua do amor deve tornar-se presente em todos os lugares e ajude-nos, com a ajuda da graça de Deus, a fazer de nossos sonhos natalinos uma realidade verdadeira!**

**HANC ARBOREM POLYGLOTTAM NOBIS BENIGNE MISIT PATER  
HERBERTUS DOUTEIL PIUS CHRONOGRAPHUS BRASILIENSIS**

# SANCTA NOX PLACIDA NOX

## *Stille Nacht, heilige Nacht*

**1. Sancta nox, placida nox  
nusquam est ulla vox;  
par sanctissimum vigilat,  
crispo crine quieti se dat  
|: puer dulcissime! :|**

*1. Stille Nacht! Heilige Nacht!  
Alles schläft; einsam wacht  
Nur das traute heilige Paar.  
Holder Knab' im lockigem Haar,  
|: Schlafe in himmlischer  
Ruh! :|*

**2. Sancta nox, placida nox,  
certior fit pastor mox  
angelorum alleluja;  
sonat voce clarissima:  
|: Iesus salvator adest! :|**

*2. Stille Nacht! Heilige Nacht!  
Hirten erst kundgemacht  
Durch der Engel Alleluja,  
Tönt es laut bei Ferne und Nah:  
|: "Jesus der Retter ist da!" :|*

**3. Sancta nox, placida nox,  
nate Dei, suavis vox  
manat ex ore sanctissimo,  
cum es nobis auxilio,  
|: Christe natalibus. :|**

*3. Stille Nacht! Heilige Nacht!  
Gottes Sohn, o wie lacht  
Lieb' aus deinem göttlichen  
Mund,  
Da uns schlägt die rettende  
Stund'.  
|: Jesus in deiner Geburt! :|*



# DE VITA IOSEPHI MOHR

## POETAE CANTICI SANCTAE NOCTIS

(1792-1848)



*Iosephus Franciscus MOHR* d.11. m.Dec. a.1792 Austriacensi in urbe *Salisburgo* natus est. Qui fuit filius illegitimus *Annae Schoeber* textricis retiariae – eius pater fuit *Franciscus Iosephus Mohr* sclopetator muscatarius<sup>1</sup> ex viculo *Mariapfarr* oriundus. Pater filio nihil reliquit nisi nomen, nam exercitum deseruit et evasit in sempiternum. Filius eum numquam revidit. Itaque Iosephus Mohr unâ cum matre et duabus sororibus germanis et aviâ, cui nomen fuit *Maria*, in domo 31 (tricesimâ primâ) ad Salisburgensem angiportum lapideum summâ in paupertate habitabat.

Cum Iosephus natus esset filius illegitimus, matri solvenda fuit multa novem florenorum. At matri tanta pecunia non fuit. Itaque non potuit, quin assentiret *Iosepho Wohlgemuth*, carnifici Salisburgensi, qui paratus erat

<sup>1</sup> \*sclopetâtor \*muscâtârius i.q. *Musketier*.

multam solvere eâ condicione, ut fieret patrinus infantis baptismalis. Carnifex enim dives sed omnibus ingratus hōc modo voluit sibi comparare



**IOSEPHUS FRANCISCUS MOHR**  
(1792-1848)

existimationem meliorem; at Iosephulum minimê curavit, nam mulierem quandam nomine *Franciscae Zachin* misit, quae in baptisinate vices sui gereret.

Illâ aetate ista circumstantia rerum Iosepho eiusque matri erat calamitosa. Nam puer cum esset origine illegitimâ et patrino carnifice, in nullam scholam receptus est nullusque faber paratus erat Iosephum erudire. Ita fieri non potuit, ut îdem puer ullam artem disceret ullumque munus susciperet. Haec pueritia gravissima multum valuit ad eius mores modumque agendi posteriorem.

Iosephus quamvis viveret pauper, adolevit puer comis atque laetus. Omnis vicinus ad angiportum lapideum habitans eum noverat, quia Iosephus saepe in viâ ludebat cantans et ab omnibus libenter audiebatur propter vocem suam pulchram. Cantica quae Iosephus cantabat, a Mariâ aviâ suâ didicerat. Îdem puer, cum celeriter disceret, iam post paucos conatûs ediscendi textûs memoriter tenebat. Amore artis musicae cum imbutus esset, fortuna eius in meliorem conversa est.

Aliquando etiam *Iohannes Nepomucus Hiernle*, monachus Benedictinus et vicarius chori ecclesiae cathedralis, audivit Iosephum in viâ cantantem. Statim is animadvertit puer quanto esset ingenio musico. Itaque Hiernle decrevit, ut Iosephum foveret.

A.1801 Iosephus pecuniâ vicarii chori cathedralis adiutus gymnasium Sancti Petri Salisburgensis frequentat. Iam tredecim annos natus modulari scit violinâ, citharâ, organo necnon cantor in publicum prodiit. Sedecim annos natus Iosephus in aliam scholam transgressus est. Ex anno 1808 gymnasium frequentavit monasterii Benedictini in oppido *Kremsmünster* situm. Ibidem autem eius ingenium musicum etiam plus cultum atque exactum est.

Iosephus scholam Benedictinam oppidi *Kremsmünster* per triennium frequentavit. Scholâ finitâ Iosephus certo scit, quale munus suscepturus sit. Puer infantiam suam pauperrimam et matris fortunam miserrimam recordatus decernit, ut opem det hominibus pauperibus et e societate exclusis. Itaque vult fieri sacerdos. At quisnam homo pecuniam daturus est pro studiis theologiae pernoscendae? Num ecclesia eum filium illegitimum receptura est? Iam periculum est, ne optatum Iosephi non expleatur, sed iterum fortuna eius in meliorem conversa est. Nam Iosephus a sumptibus studiorum academicorum liberatur et accipit permissionem Papae extraordinariam, quâ omnibus filiis illegitimis illo tempore egebant, qui sacerdotes fieri volebant. Iosephus Mohr, cum per tres annos theologiae pernoscendae studisset, d.21. m.Aug. a.1815 viginti duos annos natus sacerdos factus est.

Iosephus Mohr ordinatus cum sit, primo fit curator animarum in *Ramsau* vico prope *Berchtesgaden* sito et a.1816 in vico *Mariapfarr* in regione montanâ Salisburgensi. Haec erat paroecia patris, quem numquam cognoverat. Plagae et vici, per quos Iosephus Mohr migrabat, vehementer vastati sunt. Bellis a *Napoleone Imperatore Francogalliae* in Europâ gestis et in oppidis et in hominibus vestigia erant relicta. Itaque in viculo *Mariapfarr* multum erat miseriarum.

Ibidem Iosephus coepit exoptare, ut plura cognosceret de gente suâ, praesertim de gente patris. Parochus nomine *Stoff*, vir affabilis, eum valdê

adiuvabat. Per eum Iosephus cognovit avum suum, qui valdê gavisus est, quod nepos sibi erat sacerdos tam iuvenis scientiaeque cupidus. Îdem avus Iosepho multa narravit de patriâ, in quâ pater adoleverat.

Hiems autem a.1816 matura et dura in viculum Mariapfarr ingruit. At ne acerbissimo quidem frigore Iosephus Mohr iuvenis sacerdos ab officiis animas curandi explendis impeditus est. Îdem per nives altissimas migrabat in domos remotissimas ad homines, qui ope suâ egêrent. Quod ad officium explendum Iosephus pretium solvit magnum. Nam ipse quoque correptus est morbo pauperum frequentissimo: Iam illis in cubiculis umidis frigidisque, quae Iosephus puerili aetate inhabitaverat, contraxerat tuberculosin morbum pulmonum perniciosum. Hieme autem a.1816 denuo in istum morbum incidit.

Iosephus mense Iulio a.1817 cum nondum reconvaluisset, a parochio Stoff in nosocomium Salisburgense illatus est. Ibidem Iosephus Mohr per sex septimanas versatus e morbo partim recreatus est.

Quia etiam nosocomio relicto necesse est, ut Iosephus pergat reconvallescere ideoque in regionem migret, quae sit caelo mitiore, parochus Stoff ei commendat, ut munus suscipiat in paroeciâ *Oberndorf*. Sacerdos ibi habitans est bonus amicus praepositorum Francisci. Iosephus et parochus *Kessler* e primo iam die bene inter se concordabant. Unâ textibus missae sacrae, quae celebrari solebat sermone Latino, textûs interponebant theodiscê scriptos.

Inde christifideles paroeciae gavisi, quod nunc intellegebant, de quâ re in ecclesiâ ageretur, missam frequentabant numerosi. At hoc non videtur placuisse omnibus, nam parochio *Kessler* iam m.Oct. a.1817 alia paroecia mandata est.

E contrario parochus *Nöstler*, parochi *Kessler* successor, Iosepho iam ex initio magnas afferebat molestias. Causae earum partim iacent in tenebris historiae. Parochus *Nöstler* videtur non passus esse sermonem theodiscum in missis sacris adhibitum. Sed forsitan îdem invidabat Iosepho Mohr christifidelibus paroeciae gratiori. Nam Iosephus ope citharae suae Deum hominibus faciebat propinquiorem.



Sed licet egestas quoque pecuniarum causae fuerit, quod parochus Nöstler apud archiepiscopum famam Iosephi Mohr obscuravit eundem accusans, quod officium suum negligeret et cum hominibus alterius sexûs iocaretur et cantaret cantica „*saepe non aedificantia*“.

At hac accusatione perquisitâ a decano oppidi *St. Georgen*, qui Iosepho est praepositus, omnia quae eidem sunt obiecta, refutantur. Iosepho Mohr, qui habeatur pro sacerdote bono et praedicator bene apto, permittitur, ut maneat in vico Oberndorf.




Feliciter accidit, ut Iosepho Mohr permitteretur in vico Oberndorf permanere. Nam ibidem cognovit *Franciscum Xaverium Gruber* compositorem melodiarum, qui ad vitam Iosephi erat multum effecturus. Franciscus Xaverus et Iosephus amore artis musicae communi inter se coniuncti sunt. Saepe unâ cantabant aut citharis ludebant.

Ita anno Domini 1818 factum est, ut inter missam Vigiliae Nativitatis Domini in *Ecclesiâ Sancti Nicolai* in vico Oberndorf sitâ primum omnium

publicè cantaretur canticum, quod inscribitur „*Stille Nacht, Heilige Nacht*“ (i.e. Latinè: „*Sancta nox, placida nox*“). Iosephus voce tertiâ cantans citharâ cecinit, Franciscus cantavit voce imâ. Hoc canticum a christifidelibus paroeciae magno cum applausu auditum est.

Iam novem mensibus postquam illud canticum „*Sancta nox, placida nox*“ primo cantatum est, Iosepho Mohr vicus Oberndorf fuit relinquendus.



#### ECCE AUTOGRAPHUM CANTICI ILLUSTRISSIMI

Quibus de causis ei abeundum fuerit, ignotum est. Deinde Iosephus quietis expers per longum tempus migrare non desiit. Octo annis sequentibus munere functus est curatoris animarum in novem paroeciis variis Salisburgensibus: in *Kuchel* et *Golling* et *Vigaun* et *Adnet* et *Krispel* et *Anthering* et *Koppl* et *Eugendorf* et *Hof*. Cum iterum iterumque adiuvet homines pauperes et expulsos, multae ei sunt allatae molestiae. Accedit, quod unus parochus post alterum studet defungi Iosepho, qui sit valetudine infirmâ.


Iosephus primo quiescit a.1827 in vico *Hintersee*. Ibidem Mohr suscipit parvam paroeciam, cui insunt pauciores quam trecenti catholici, sed primum nunc non iam est curator, sed parochus solus paroeciae suae praepositus. Mox Iosephus affabilis omnibus christifidelibus fit gratus propter amorem suum hominum pacisque. Tamen iterum e recessu

audiuntur diffamatores. A.1834 Iosephus Mohr interrogatur de officiis muneris neglectis. At sicut iam prius factum est, cum nunc quoque accusationes probentur falsae esse, Iosephus extra culpam esse iudicatur.

Tamen dolenter dicendum est etiam quietem, quâ Iosephus in vico Hintersee perfructus est, non fuisse sempiternam. Post decennium salutare eidem a.1837 aliud munus mandatur: ei transmigrandum est ad vicum *Wagrain* prope *Bischofshofen* situm, qui est montanus vicus pauperrimus.

Iosephum valdê miseret paupertatis hominum. Praesertim infantes ei cordi sunt. Mohr memor fit infantiae propriae. Qui numquam oblîtus est, quid valeat hominem pauperem esse et vix ab aliquo diligi. Ipso eo, quod scholam frequentare non potuit nisi ope hominis boni, Mohr monetur, quantum adversus vitae suae gravitatem sibi donatum sit. Ex hîc dono accepto ipse aliis aliquid tradere vult.

Itaque novam scholam aedificandam curat, ne omnes liberi in uno tantum oeco classario instituantur. Iam m.Nov. a.1838 haec schola inaugurata est.



#

Simul Iosephus indefessê colligit pecuniam, quâ pauperum quoque parentium liberis liceat scholam frequentare, quod fieri non poterat nisi pecuniâ solutâ. Quâ erat caritate atque providentiâ eorum, quibuscum vivebat, Iosephus etiam respiciebat homines seniles pauperesque, praesertim illos, quibus ab uno fundo agresti ad alterum migrandum erat, ut ibi aliquid ciborum acciperent. Eius navitate effectum est, ut aedificaretur quoddam domicilium, quo reciperentur pauperes atque seniles. Sed domicilium cum perficeretur, eiusdem auctor non iam vixit.

Die quarto mensis Decembris a. 1848 Iosephus Mohr tuberculosi pulmonari correptus et laboribus infinitis homines adiuvandi defatigatus, undecim diebus ante diem natalem quinquagesimum sextum animam suam efflavit.



Qui mundum reliquit tam pauper, quam intraverat, tamen nos uberrimê donavit cantico suo, quo Iesu nativitatem celebravit tantâ cum pulchritudine mirabili.

**Haec vita Iosephi Mohr conscripta est a Roswithâ atque Michaele Tillman, Latinâ veste donata a Leone Latino. Textus originalis invenitur in libello qui sequitur:**

Roswitha und Michael Tillmann, Stille Nacht, heilige Nacht. Laura und Tom auf den Spuren des bekannten Liedes. Fensterbild-Adventskalender, illustriert von Malte Hagen Olbertz, Bergmoser + Höller Verlag, Aachen a.2005.



## NUCIFRANGIBULUM QUID SIT

<https://de.wikipedia.org/wiki/Nussknacker>



### **PLAVTVS, Bacchides 594-599 (IV 2,12-17)**

PISTOCLERVS At scin quam iracundus siem? Ne tibi hercle hau longe est os ab infortunio, ita **dentifrangibula** haec meis manibus gestiunt. PARASITVS mihi cautio est, ne **nucifrangibula** excussit ex malis\* meis. Tuo ego istaec igitur dicam illi periculo. \*mālis i.e. maxillis.

cfr Forcellini s.v. nucifrangibulum: „**NŪCĪFRANGĪBŪLUM**, i, n. 2. **dens, quia dentibus nuces solent confringi**. *Plaut. Bacch.* 4. 2. 16. mihi cautio est, ne nucifrangibula excussit ex malis meis.“

**Nucifrangibulum** est instrumentum, quo nuces aperiantur, i.e. testae nucum diffrangantur. Talium instrumentorum sunt variae formae et genera.

## GENERA NUCIFRANGIBULORUM

### Nucifrangibula functionalia

- *forcipes nucifragae* ex duobus bracchiis, quae artu inter se coniuncta sunt. Nux bracchiis interponitur, eadem comprimuntur, quo testa nucis dirumpatur.



Ecce forceps nucifraga

- *cochleae nucifragae* constant ex duabus partibus: e quadam patellâ, cui nux imponitur, et operculo aut cochleâ, quae torquendo in patellam imprimitur. Impressione cochleae testa nucis diffringitur.



A sinistris forceps, a dextris cochlea nucifraga

- *fundae nucifragae*: Nux imponitur folli aëreo, qui cylindro metallico est affixus. Deinde follis attractus si remittitur, testa nucis nucifrangibuli parieti metallico adverso iniectus diffringitur.



Funda nucifraga

<https://www.youtube.com/watch?v=DrrZwypoyr0>

Praeter haec genera nucifrangibulorum principalia exstant multa alia, in quibus nuces aut ictu aut pressione diffringuntur. In nucifrangibulo *Drosselmeyeriano* pulvinus oppositus est poculum metallicum. Mechanismo vecticulari motus manubrii transmittitur ad laminam metallicam elateribus impositam, quâ nux in poculo comprimatur. Effectu vecticulari deminuitur vis ad nucem diffringendam necessaria.

Aliud genus nucifrangibulorum constat e campanâ cummeâ, cui mediae imposita est lamina metallica striata. Si campana cummea semel manu impellitur, diffringitur nux alveolo fundi metallici imposita.

### **Nucifrangibula decorativa**

- ***figurae nucifragae lignae***, in quarum ore (qualis videtur) nuces ratione vecticulari diffringantur. Tales figurae tempore natalicio collocantur decorandi causâ. Primo tales figurae lignae, quae illo tempore appellabantur *morsores nucum* („*Nussbeisser*“), fabricatae sunt a.1650 in oppido *Berchtesgaden* et inde ex a.1735 in oppido *Sonneberg*. In Montibus Saxoniae Metalliferis alterâ parte saeculi undevicesimi dimidiâ fabricatio figurarum nucifragarum percrebrescebat; centrum artis nucifragae figurativae fuit oppidum *Seiffen*. Facies talium figurarum saepe truces atque minaces similes sunt faciebus virorum illius aetatis officialium (quales fuerunt saltuarius, biocolytes, rex, husarus eqs). Figura nucifraga huius generis 35 cm longa fabricatur per centum triginta gradûs operandi et constat ex summum sexaginta partibus. Praecipuê adhibetur lignum picearum aut fagorum, et ad figuras decorandas fabricatores utuntur materiis quales sunt pellis, saetae, corium, tela textilis, funiculi, pigmenta lucidissima maximêque varia.

- ***figurae nucifragae giganteae*** decorandi causâ collocantur in mercatibus nataliciis. Usque ad a.2017 per longum tempus nucifrangibulum mercatûs natalicii omnium longissimum fuit quaedam figura sex metra alta in mercatu natalicio *Osnabrugensi* statuta. At eadem ex mense Novembri anni 2017 superatur a figurâ nucifragâ in mercatu natalicio *Oberhusano* („*CentrO*“) collocatâ. Pro nucifrangibulo totius mundi maximo habetur **EQUES BORSO GIGANTOPOLITANUS** („*Ritter Borso von Riesenburg*“), qui est 10,10 (*decem-virgula-decem*) metrorum altitudine et pondere 3285 (*trium milium ducentorum octoginta quinque*) chiliogrammorum et invenitur in

**Museo Nucifrangibulorum Novihusano**, quod situm est in Montibus Metalliferis.

### Historia

Primum nucifrangibulum duobus vectibus instructum iam exstitit tempore antiquo. Quod dicitur inventum esse ab **Aristotele** (vel potius ab **Archytâ Tarentino**)<sup>1</sup>. Exemplum huiusmodi aeneum iam sat decorum Tarenti inventum est in sepulchro circa a.300 a.Chr.n. facto.



Ecce nucifrangibulum aeneum et aureum Tarenti circa a.300 a.Chr.n. fabricatum. Figura manuum femininarum compressarum, quibus inest cardo ad usum instrument aptus.

Plebecula instrumenti tam pretiosi expertes utebantur lapide aut malleo aut dentibus (cfr locus Plautinus supra allatus!). Etiam **Leonardus Vinci** (1452-1519) ille omnium ingeniosissimus dicitur muginatus esse in nucifrangibulo quam aptissimo construendo. Pro certo habemus eundem Italum alterum Daedalum construxisse scamnum tornatorium, quo fabricarentur figurae lignae. Traditum nobis est iam saeculo sexto decimo fabricatas esse figuras nucifragas. **Henricus VIII.** rex Angliae **Annae Boleyn** uxori alteri donavit figuram nucifragam artificiosê ligno exsculptam. **Iacobus Grimm** in hoc contextu describit, quomodo figurae nucifrae excultae sint ex figuris, quibus antiqui homines usi erant ad spiritûs domesticos placandos.

<sup>1</sup> CORPUS ARISTOTELICUM: MEXANIKÄ 22 (ed. Immanuel Bekker, Oxonii 1833, tom.VI,p.161sq.)

Aetas artis nucifragae florentissima incohata est saeculo duodevicesimo, quo tales figurae primum scalpebantur in oppidulis **Gröden** et **Oberammergau**. In Tyroli meridionali praecipuê fabricabantur iocosa genera figurarum popularia, in Bavariâ potius figurae orientis propinqui. Ex a.1735 vendebantur lignea nucifrangibula in oppido **Sonneberg** Thuringiensi fabricata. Praeter *Equitulos Sonnebergenses* („*Sonneberger Reiterchen*“, i.q. fistulae lusoriae in figuras equitum parvorum redactae) *nucifrangibula Sonnebergensia* usque ad annos vicenarios saeculi vicesimi facta sunt symbola ***Sonnebergae urbis crepundiorum mundanae***.

Postquam saeculo undevicesimo fodinae in Montibus Metalliferis sunt clausae, homines montani, praesertim incolae „anguli crepundiorum“ inter oppidula *Seiffen* et *Olbernhau* et *Neuhausen* siti quaesiverunt novos fontes industriae quaestuosae. Imprimis coeperunt artem tornandi et scalpendi colere, qua fabricarent suppellectiles decoras, quales fuerunt sellae et mensae et armaria, sed etiam crepundia lignea et figurae fenestrarum, quales fuerunt angeli et fodinarii, virunculi fumificatores necnon figurae nucifragae. Figurae *virorum vecticularium* („*Hebelmänner*“) *omnium* gratissimae erant biocolytae et milites et rêges. Prima figura nucifraga, quae fuit formae et colorum hodie in Montibus Metalliferis typicorum, tornata est circa a.1870 a **Friderico Vilelmo Füchtner**. Hae figurae ingenti rostro instructae sunt, ut efficerent aut respectum honorificum aut hilaritatem. E.g. proelio gentium Lipsiensi facto fabricatae sunt figurae nucifragae similes *Napoleoni*, postea etiam *Bismarckio*.

Scilicet tales figuras versicolores etiam parvulis fuisse gratissimas; itaque venibant in mercatibus nataliciis et saeculo undevicesimo habebantur pro crepundiis. Designatores artifices etiam nucifrangibulum functionale adhibuerunt, e.g. aetate *stili iuvenilis*.

**Nucifrangibula qualia apparuerint in litteraturâ et in scaenâ theatricâ**  
 Figura nucifraga in claritudinem litterariam a.1816 pervênit fabella natalicia **Ernesti Theodori Amadei Hoffmann**, quae inscribitur „**Nußknacker und Mäusekönig**“ (i.e. *Nucifragus et Rex murium*). Lignea figura praecipua est husarus:

„*Qui gerebat iacculam husari perpulchram colore violaceo fulgentem multis funiculis candidis et botunculis instructam, braculasque eiusmodi necnon*

*caligulas pulcherrimas omnium, quibus umquam induti erant pedes militis officarii.*“

Minus bene nōta est narratiuncula natalicia Henrici Hoffmann auctoris Petruli Hirsuti, quam idem a.1851 scripsit sub titulo „*König Nußknacker und der arme Reinhold*“ (i.q. *Rex Nucifragus et Reinholdus miserrimus*). Figuras in Montibus Metalliferis fabricatas, quae in hoc libello agentes inducuntur et ab auctore delineatae sunt, Hoffmannius emerat in Norimbergensi mercatu natalicio. Persona tituli est rex superbus, qui se introducit verbis quae sunt: *Rex vocor Nucifragus, morsu diffringo nuces duras. Nucleos dulces avidê degluttio, sed testas mâlo deicere aliis removendas, quia ego sum rex.* (i.e. originaliter: „*König Nußknacker, so heiß' ich, harte Nüsse, die zerbeiß' ich. Süße Kerne schluck' ich fleißig, doch die Schalen, ei, die schmeiß' ich lieber andern hin, weil ich König bin.*“) Quae narratiuncula continet etiam parodiam Hymni Imperatoris, propter quem hoc opusculum mirabile per aliquantum temporis erat prohibitum.

**Ballatiuncula Nucifragi** illustrissima, quam composuit **Petrus Tschaikowski** Russiae musicus ingeniosissimus, primum omnium in scaenâ acta est d.6.m.Dec. (sec. Calendarium Iulianum), i.e. d.18. m.Dec. (sec. Gregorianum) a.1892 Petropoli in urbe. Argumentum huius ballatiunculae Tschaikowskiius recepit ex Hoffmannianâ fabellâ, c.t. „**Nucifragus et Rex murium**“.

### **Alia**

D.29. m.Aug. a.2021 Vilelmus nucifragus itinerarius ad stationem spatialem volavit sarcinis *Matthiae Maurer* astronautae inclusus. Îdem nucifragus ex anno 2016 solet per mundum transportari tamquam ambasciator cultualis *Chemnitii* urbis Europae praecipuae.







**ECCE GIGAS NUCIFRAGUS IN SAXONIAE MONTIBUS METALLIFERIS CONFECTUS:**  
Qui cum habeat longitudinem corporis 5,87 metrorum, Libro illi Cumulorum (i.e. praestationum summarum) Guinnessiano est inscriptus. Leo Latinus dolet quod nescit quales nuces ab isto gigante diffringantur. Num *nuces cocoinae*, quae a Plinio (PLIN.nat.12,24) appellantur nomine indico *arierae*?\*

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE NUCIFRANGIBULIS  
SCRIPTAM  
LATINA VESTE DONAVIT  
LEO LATINUS**



# CARMEN MAURI PISINI

## Cogitationum frustula plus minusve poetica

In curis vagor ipse meis et vescor iisdem.

Si lacrimas retinent oculi, tum lingua precantis  
has voce ostendit ...

Dura fugat, quia vult, iam lassum vespera solem.

Luna moratur agris ubi scit me carpere formis  
naturae variis queis alit una coras.

Non vigor ipse tenax super ossa expanditur, at vis  
irati vultus quae flagrat ore, genis.

Spes aliquid comitatur iners per verba, per aestum  
illorum qui hanc dicere avent ...

Umbra iterum properat gerere, acta aestate, choreas  
contra nos, dein, nos in fuscum immergere caelum.

Lumina adoro, silens, maestum manantia visum.

... Transfixus arundine ventus  
flat sine voce, tepens, autumnus praescius atri.

Ceu res aetherea, ad sudum larus explicat alas.

**Maurus Pisini**

Certamen  
**TRANSVERSO**  
**CALAMO**  
Collegium Latinitatis

Est nobis in animo certamen  
scribendi reintegrare.  
Duo erunt genera:

Praemia!:

Tironibus: **80€**

Latinitatis cultoribus: **200€**

<https://collegiumlatinitatis.com>



**CERTAMEN LATINUM  
TRANSVERSO CALAMO**

**Leges, quibus hoc habebitur certamen:**

**Iis omnibus Latinam linguam sive in lyceis sive in academiis sive animi causa colentibus inire licebit. Duo igitur ordines ad certamen descendendi statuuntur:**

- Tirones: qui sermoni Romano in lyceo operam dant vel qui saltem superiore anno academiae cuilibet nomen dederint.
- Latinitatis cultores: qui iuvenes seu adultiores homines a scholis remoti se delectandi gratia litteras adhuc evolvunt Latinas.

**De quavis re, modo Latinitatis proprietates inchoantesque observentur, participibus scribere licebit.**

- Quod ad tirones: saltem UNA litteris minoribus id genus "Times Roman" 12 spatio inter lineas unius et dimidii servato, PAGINA (septingenta octingentave plus minus vocabula continentes) iis scribenda est.
- Quod ad Latinitatis cultores: saltem QUATTUOR litteris minoribus id genus "Times Roman" 12 spatio inter lineas unius et dimidii servato PAGINAE (duo milia plus minus vocabulorum continentes) iis scribendae sunt.

***Scripta per litteras electronicas ante Kalendas Maias anno MMXXIII mittentur. Accessitis iudicibus tribus duo renuntiabuntur singulis ex ordinibus victores: tironum primus LXXX nummis Europaeis donabitur; Latinitatis cultorum CC primus. Denique tribunalis laudes de suo scripto complectente testimonio tantum tres singulorum ordinum homines ornabuntur.***

[collegiumlatinitatis@collegiumlatinitatis.com](mailto:collegiumlatinitatis@collegiumlatinitatis.com)

# **ECCE ALFONSUS SCHUHBECK COQUUS OLIM CELEBRATISSIMUS NUNC AD CARCEREM DAMNATUS**



**Quis est hic vir, qui omnia cupivit, sed nunc habet nihil? En gusta quinque sapes vitae Alfonsinae – a dulci ad amarum!**

*D.05. m.Nov. a.2022, h.05.00 scripsit Florianus Schoop, Latinê reddidit Leo Latinus*

**Hic Schuhbeckius est alius ac prior: Coquus televisorius et gastronomus celebratissimus die 27. m.Oct. stetit coram iudicissâ iudicii municipalis Monacensis.**

Alfonsus apparet fatigatus esse. Facies eius pallida est. Mâlae sunt macilentae. Anguli oris sunt deorsum versi, oculi rubicundi in vanum sunt defixi. Talis est aspectus viri, qui per totam vitam laboravit vehementer. Qui voluerat demonstrare ex se filio originis humilis atque egenae factum iri virum divitem et illustrem. Qui nunc post decennia, quibus percurrit cursum honorum gastronomiae splendidissimum, ruinam et honoris et fortunarum passus est calamitosissimam.

Alfonsus Schuhbeckius est vir multiplex: Coqus stellis honoratus. Gastronomus. Auctor librorum. Papa condimentorum. Delectator. Convivator. Negotiator. Coqus televisificus.

Nomen Alfonsi Schuhbeckii praecipuê est nota fabricationis: Quod nomen inscriptum est pyxidibus condimentorum ciborumque promptorum. Capsulis curcumae et sartaginibus.

Quantâ est ambitione, Alfonsus in longinquum progressus est: in nimis longinquum, ut nunc apparet: Nam eius ascensus incomparabilis septimanâ praeteritâ finitus est in Palatio Iustitiae Monacensi. Is vir, qui semper in publico versatus erat candido colobio culinari insignissimus, nunc saccariâ iacculâ caeruleâ indutus coram iudicissâ stat macie tenuatus sententiam auditurus fatalem: ad custodiam damnatur trium annorum duorumque mensium. Nam îdem coqus stellatus arcis nummariis cauponarum suarum lautissimarum falsatis evitavit vectigalia pendenda, ut aliquot miliones euronum lucraretur fraudulenter.

Per plus quadraginta annos »Fonsulus« Schuhbeck regnum suum aedificaverat gastronomiae et condimentorum. Nunc îdem dicit: »*Equidem sto ante operis mei labore totius vitae parti parietinas.*«

Quis est iste vir, qui omnia voluit et nunc habet nihil? En gusta quinque sapes vitae Alfonsinae.





### **SAPOR SALSUS: PUERITIA EGENA**

Alfonsus Schuhbeck, a.1949 natus, adolescit in parvo vico *Chiemgau* in pago Bavariae superioris – nomine *Alfonsus Karg* (*karg* i.q. egenus). Eius nomen gentilicium illius temporis bene quadrat ad originem. In illâ regione, ubi alii degent ferias suas, parvulus Alfonsus cottidie migrat per quattuor chiliometra ad scholam. Necnon domum migrat per quattuor chiliometra. Omni die. Per silvam et ipsâ in hieme per nivem altam. Pater Alfonsuli est laophoricus, i.e. auriga autoraedae longae, mater est domiseda.

Magnum autem *τραῦμα* animae, quo Alfonsus inde ex pueritiâ vexabatur, incohatum est verbis magistri contumeliosis. »Ex te quidem nihil umquam fiet«, magister sibi dixisse puerulo denario. Quae laesio effectum habebat gravissimum. Usque hodie. Cui adolescens respondit: Ego vobis demonstrabo quantum valeam!

Primo Alfonsus frustra laborat: tirocinium technici telephonici ei displicet. At forte fortunâ factum est, ut iuveni planetur via ad cursum honorum. Alfonsus, qui particeps est gregis musici, iussus est musicam facere in domo quadam curationum medicarum. Illo vespere cognovit *Sebastianum Schubeck*, qui est gastronomus et burgimagister. Qui vir liberorum experts Alfonsum adoptat eique commendat cursum honorum coqui faciendum. Ita factum est, ut Alfonso *Karg* imponeretur nomen Alfonsi *Schuhbeck*.

### **SAPOR DULCIS: ASCENSUS MATURUS**

*Schuhbeckius* natu maior bene suasit: *Alfonsus* filius eius adoptivus mox se praebet in novâ sibi arte colendâ ingeniosum. In scholâ administrationis deversorialis cum rudimenta artis posuisset, annis migrandi, quos degebat in cauponis coquens coryphaeis, eandem domum curationis, ubi olim musicam fecerat, nunc in templum convertit ganeonum, quo mox attrahuntur etiam homines eminentissimi. *Thomas Gottschalk* et *Helmodus Kohl* et *Boris Becker* necnon *Heino* omnes huc peregrinantur.

Etiam censores cauponarum cognoverunt novam coquendi artem *Schuhbeckianam*: cibos bavaricos exquisitê paratos. »Cauponula Domûs Curatoriae« nobilitatur stellâ Michelinâ. Necnon *Schuhbeckius* nunc in claritudinem pervenit. Qui a.1989 a *Gault-Millau* magno cum honore appellatur „*Coquus Anni 1989*“. At hîc honore iuvenis gastronomus

nondum contentus est. Iam nunc apparet Alfonsum plus gloriae cupere. Multo plus. Deinde îdem condit negotiationem conviviorum, quâ curat cibos parandos ad diem festum cancellarii foederalis celebrandum et praemium Echûs musicum attribuendum. Praeterea Schuhbeckius animadvertit se posse lucrum accipere arte suâ in emissionibus radiotelevisificis demonstrandâ necnon nomen suum fieri posse praeconium mercatorium. Ergo coquus coryphaeus personas gerit in cinematibus minores et annis nonagenariis ineuntibus publicê coquit in emissionibus televisionis coctoriis. Nunc, si tardissimê, Alfonsus est unus e Germaniae viris eminentissimis.

At a.1994 ascensus coqui stellati honorificus subito retardatus est. Culpâ eius ipsius. Schuhbeckius est quidem artis coquendi peritissimus, sed pecuniae est prorsus imperitus.

Hominibus sibi nôtis commendat negotia pecuniae collocandae periculosa – et promittit reditûs lucrosissimos. At bullâ somniosâ displosâ pecunia perdita est non solum Alfonsi, sed etiam amicorum convivarumque. In relatione televisificâ de istis negotiis factis Alfonsus postea dicit: Scilicet se de negotiis suis narrasse nonnullis hominibus – *«sed si isti tam stolidi sunt, ut eadem faciant ac ego, non ego culpam contraxi»*.

Sequitur causa poenalis. In fine *Schuhbeckius* condemnatur propter vectigalia evitata et infidelitatem. Coquus famosus in spatium probationis punitur custodiâ unius anni et multa 250.000 marcarum Germanicarum.

Tantâ poenâ datâ multi homines non iam cursum honorum continuassent. Sed Alfonsus Schuhbeck est vir alterius farinae. Eidem viro ad Olympum gastronomiae ascendenti hoc episodum nil est nisi brevis caespitatio.

### **SAPOR UMAMIANUS: IMPERIUM SCHUHBECKIANUM**

Postea Schuhbeckius dicit illis negotiis pecuniariis animam suam esse *»decalcificatam«*. Se surrexisse peritiorem. Se nunc scire, quid velit et quid nolit.

E coquo stellato fit etiam auctor librorum, e viro televisorio celebratissimo fit Papa condimentorum, director scholae coquendi, possessor cauponae gelatorum – necnon caupo complurium cauponarum lautissimarum Monacensium. Nunc gloriosê exoritur *Imperium Schuhbeckianum*. Novus rex gastronomiae sedem suam principalem habet in Plateolâ („*Platzl*“) iuxta Domum Bracinae Aulicae. A Cauponulâ Curatoriâ in oppido *Waging* sitâ regendâ a.2002 desistit.

### **Dominus Plateolae Monacensis invenit novum Imperium.**

Alfonsus Schuhbeckius nunc assecutus est vitae suae operosae summitatem. Qui fit gratissimus spectatoribus emissionum televisionis colloquiarium, ubi fusê et libenter narrat, quomodo ipse olim egenus factus sit vir opulentus et illustris. Alfonsus curat instituendum spectaculum cenandi, cui nomen imponit proprium: *Theatrum Schuhbeckianum*. Necnon Alfonsus fit coquus Coetûs Pedifolliarii Bavarico-Monacensis. Ex illo tempore in iaccâ suâ coquinariâ non solum apparent nomen Alfonsi proprium et vexillum Bavariae caeruleo-album, sed etiam signum eiusdem coetûs pedifolliarii.



»ECCE MEA 200 PRAECEPTA COQUENDI NOVA EX 4 COQUINIS MUNDI SUMPTA«

Schuhbeck operatur industriosissimê, in die per 20 horas, per 6 dies in septimanâ. Post mediam noctem cum domum venit, ibidem exspectatur ab exercitatore suo valetudinis servandae. Post paucas horas dormiendi Alfonsus pergit laborare eodem modo ac die praeterito. Nullus die ei est vacuus a laboribus, excepto Dominico, quo se dedit familiae suae. Id

autem mordicus tenet sibi curandum, ne umquam desinat laborare, ut semper laboret quam celerrimê. Hoc quoque postulat a cooperantibus suis.

Omnia videntur Alfonso succedere felicissimê, quasi quidquid îdem alter Midas tangat, fiat aurum. Alfonsus solet dicere: „*Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.*“<sup>1</sup> At hoc praeceptum perutile ipse non respicit. Quo felicius res sibi succedit, eo agit temerius. Nullum negotium Alfonso est nimis magnum, nulli incepto eidem nimium aleae inesse videtur. Ita fit, ut Imperium Schuhbeckianum sit interiturum.

### **SAPOR ACIDUS: FAMA OBSCURATA**

Schuhbeckius in rebus culinaribus, si quidem agitur de lucro sat magno accipiendo, numquam sollicitatur de honore coqui stellati, qualis est. Itaque neque verecundatur praebere cibos promptissimos neque unâ cum *Ulrico Hoeness* Bavarorum pedifolliariorum praeceptore laudare atque praeconiari negotiationem MacDonaldianam. Vae istis peccatoribus vectigalium in popinâ cibi promptissimi sedentibus! Etiam in disciplinâ suâ novâ – id est in Regno Condimentorum – Schuhbeckius in dies plura cupit vendere. Non solum vendit piper herbasve Italicas. Alfonsus capsicum et allium et curcumam inter se commixta appellat *condimentum aphrodisiacum*. Qui salem sumit et commiscet cum nonnullis additamentis et appellat mixturam *salem conditivum aquae collyricae*. Iam mox praebet *Schuhbeckianum Carium (Curry) Eroticum, Salem Schuhbeckii Mozartianum, Condimentum Lactis Concreti Ientacularis Schuhbeckianum* – aut *Salem Herbarum Paschalem a Sacerdote Benedictum*.

Estne *Alfonsus Schuhbeckius* magnus coquinae inventor et novator a spiritu divino inspiratus an nihil est nisi lucripeta avidissimus et avarissimus?

Tum îdem coquus ingeniosus magis magisque vituperatur a collegis dicentibus Schuhbeckium famam suam bonam in periculum subducere.

Necnon coquus lucrosus in ius vocatur a Centro Competitionis Mercatoriae propter aliam mercem a Schuhbeckio inventam: „*Pharmacopolium Condimentorum Schuhbeckianum*“. Coquus nunc est etiam sanator. Qui vendit producta qualia sunt «*Körper-Aktiv*» (quo statura

<sup>1</sup>orig. (dialecto Bavaricâ): «Des wos ma macht, muas ma gscheit macha, und ned eifach wahllos drauflos haun.»



corporis fiat melior et homo fiat agilior) aut «*Combi-Vital*» (quo augentur vis vitalis et vitalitas). At medici periti dicunt haec medicamenta Alfonsina nullum habere effectum. - Coquo stellato non iam licet producta sua salubria appellare ‚*Pharmacopolium Condimentorum*‘. Itaque iisdem agglutinat notam novam, cui inscribit nomen: ‚*Vis Condimentorum Schuhbeckiana*“ . - At aliquando ipse Alfonsus Schuhbeckius perturbatur priorum propositorum atque inceptorum nimiâ multiplicitate. Cum Alfonsus nimis multa petiverit, nimis multa proposuerit, stella coqui stellati est delapsura. Iterum iterumque eidem deest pecunia, nam non omnibus a se inventis coquus accipit lucrum. Cum Schuhbeckius hoc non cognoscat, Fortuna desinit eidem arridere.

### **SAPOR AMARUS: COLLAPSUS**

M. Iulio a.2021 gastronomus obaeratus non potest quin annuntiet insolventiam. Grex quidam investorum a Schuhbeckio accipit cauponam lautissimam et mercaturam condimentorum et ministrationem conviviorum. Qui sint iidem investitores, non est notum. At manifestum est Schuhbeckium esse quidem adhuc Regem Coquendi, sed Regni esse expertem.

Alterum malum imminet Alfonso miserrimo: Magistratûs vectigalium iterum eundem in ius vocant. Suspiciantur enim Schuhbeckium vectigalia pendenda subterfugisse plus duos miliones euronum. Iste est ictus Imperio Schuhbeckiano fatalis. Investigatione factâ apparet coquum industriosum non iam parem esse negotiis suis intricatis dispensandis, sed ipsum arcas nummarias suas falsavisse technâ quadam subtilissimâ. Nam eius consiliarius informaticus programmavit claviculam datariam, ut Alfonsus vestigiis pecuniae acceptae deletis vectigalia subterfugeret. Claviculâ systemati arcae nummariae impositâ coquus fraudulenter rationes delevit et pecuniam clam ex arcâ sumpsit. Pecuniam sine vectigali acceptam.

In fine Schuhbeckio nil restat nisi ut totam rem coram iudicissâ confiteatur. Alfonsus senex 73 annos natus inter processum iudicalem miserîâ suâ consternatus: »*Non possum*« inquit, »*quin ipse mihi confitear me non esse mercatorem bonum*«. Se usque ad ruinam factam se ipsum hominesque sibi circumdatos decepisse »*credere nolentem negotiationem suam iam pridem ad irritum cecidisse*«. Pro eo, ut ruinam suam imminentem patefaceret, Schuhbeckius perrexit negotium suum tractare, ut oblivisceretur

cognitionem sui dolorosam. Qui frustra conabatur ex omnibus mercaturis et cauponis »*aliquo modo facere quandam unitatem*«.



**«Ego fui ubique et nusquam.»**

Deinde Schuhbeckius aes alienum contrahit, miliones euronum mutuos sumit ab amicis hominibusque sibi nôtis, sed credita non iam potest solvere. Ubique Alfonso deest pecunia. Itaque usus est illâ fallaciâ claviculae USB impositae.

In fine res venit ad sententiam iudicii ab *Andrea Wagner* iudicissâ enuntiandam. Gastronomus delapsus pollicetur: »*Reddam*« inquit »*rationem*«. At Alfonsus veterator versutus quandam occasiunculam custodiae evitandae odorans sententiam iudicissae vocat in novam disceptationem – quo sibi ipsi comparat moram ultimam.

***Alfonsus Schuhbeckius***, coryphaeus artis coquendi stellatus et coquus televisificus et auctor librorum artis coquendi, remis velisque enititur, ne titulis suis addatur aliud nomen professionis: **COQUUS CARCERARIUS**. ---

**VITAM ALFONSINAM**

**SCRIPSIT  
FLORIANUS SCHOOP**

**TOGA INDUIT  
LEO LATINUS**

## ANSER NATALICIUS MORE ALFONSINO PARATUS



### PRAECEPTUM COQUENDI: ★Anser natalicus confertus★

#### *Additamenta 8 hominibus comedenda*

##### *Quoad anserem:*

- 1 anser (fere 4,5 kg)
- 250 g conti bracchitorum (hesterni; salis expertes)
- 250 ml lactis
- 2 ova
- sal
- piper molitum
- nux muscata recenter distrita
- 1/2 cepa
- 100 g butyri
- 250 g caro concisa tomaculorum (a lanio accipienda)
- 5 EL crami

- 1 cochlear foliorum petroselini (recenter sectorum)
- 1,5 ligulae putaminis citri detriti (non tractati)

### **Quoad liquamen:**

2 cepae

- 1 carotula
- 100 g apii bulbosi
- 1 cochlear olei
- 2 ligulae sacchari farinacei
- 1 cochlear medullae lycopersicinae
- 250 ml vinum rubrum forte
- 1,2 litrae iusculi
- 1,5 ligulae amyli cibarii
- 1 ramus amaraci
- 2 pediculi petroselini
- 2 orbiculi allii
- 2 orbiculi zingiberis
- 2 laciniae putaminis arancii non tractati
- 20 g butyri frigidi
- sal

### **ANSEREM NATALICIUM SIC PARATO:**

1. Primo furnum calefacito usque ad 220 gradûs Celsius et liquamen praeparato: Collum et alas ex anseris secato, omnia gizeria removeto, lavato anseris interiora atque exteriora et siccat. ★
2. Alam collumque in partes tria ferê centimetra longas cultro concidito et in laminâ furnariâ assato temperaturâ mediâ per 30 minutas usque dum sint colore luteolo, deinde seponito. ★
3. Nunc temperaturam furni deminuito usque ad 50 gradûs et craticulam furni ad infimam regulam ponito et laminam destillatoriam supponito. ★
4. Ad anserem farciendum contos brachiorum dissecato in tessellas centimetrum latas easque patinae indito. Lac calefacito, dum effervescat, de foco sumito, cum ôvis peragitato. Lac ovatum nunc cum sale, pipere, nuce muscatâ condito et cum tessellis brachiorum commisceto. Cepam depellato, in tessellas dissecato, in sartagine cum cochleari butyri miti temperaturâ calefacito, dum vitrescat, et cum massâ brachiorum commisceto. Caro concisa tomaculorum cum cramo peragitato, cum petroselino commisceto, farturae subintroducito et putamine citrino et sale et pipere et nuce muscatâ condito. ★

5. Nunc anseris cavitatem abdominalem salîto, carne conciso tomaculorum completo, veru ligneo concludito. Anser in furno craticulae impositus assatur per quinque aut quinque et dimidiam horas, dum crustis obtegatur. Interim eundem oblinito butyro liquefacto et salîto, quod relictum est. ★
6. Ad liquamen conficiendum cepas et carotulam et apium bulbosum deglubito et in tessellas centimetrum longas dissecato et oleo addito in sartagine operculatâ leniter calefacito. Sacchatum farinaceum in ollâ leniter calefacito, dum fiat liquida et pellucida, medullam lycopersicinam peragitato, dum calore leviter fucescat, deinde dimidiâ copiâ vini rubri massam calidam madefacito; exspectato, usque dum vinum fiat syrupo simile. Deinde reliquam partem vini addito et exspectato, usque dum vaporando exarescat, deinde tessellas holerarias et frusta alarum collique necnon iusculum addito et omnia paululo sub puncto ebulliendi per unam ferê horam calefacito. ★
7. Liquamen per cribrum subtile ollae infundito et exspectato, usque dum dimidia ferê pars coquendo evanescat, deinde amyllum aliquantulâ aquâ frigidâ levigato et agitando in liquamen infundito et per duas minutas leviter calefacito. Nunc addito amaracum, petroselinum, zingiber, allium, putamen arancii, per nonnullas minutas haec additamenta in liquamine retineto, deinde eadem eximito. Deinde butyrum liquamini agitans infundito et salîto. ★
8. Ex ansere perfectê assato solvito clunes et pectora et ventrem forfice culinari insecato. Farturam exsolvito et in orbiculos dissecato. Clunis et pectora et fartura nunc cum liquamine in catinis calefactis apparato. Ad hunc cibum sapore bene quadrant brassica rubra aut apium contritum aut brassica bullata armoracio condîta. ★

*Bene sapiat tibi !*

**HOC PRAECEPTUM COQUENDI**

**AB**

**ALFONSO SCHUHBECK**

**EXCOGITATUM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Eliezer Ben-Jehuda

gebürtig Eliezer Jitzchak Perlman

\* 7. Januar 1858 in Luschki, Russisches Kaiserreich

† 16. Dezember 1922 in Jerusalem



E L I E Z E R B E N - I E H V D A

D I V R N A R I V S

A T Q V E

B O N V S L E X I C O G R A P H I C V S L I N G V A E H E B R A I C A E

B I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E D E N A T V S

M M X X I I

ELIEZER BEN-JEHUDA,

Journalist, vor allem aber der große Lexikograph der (modernen) hebräischen Sprache,  
starb vor 100 Jahren.

*Eliezer Ben-Jehuda war Journalist und Autor des ersten modernen hebräischen Wörterbuchs. Er gilt als die wichtigste Kraft bei der Vervollständigung und Verbreitung des modernen Ivrit, vor allem als gesprochener Sprache. Damit hat er das Hebräische als Muttersprache wiederbelebt, welches seit etwa dem Jahre 200 n. Chr. fast nur noch als Sakralsprache im Torastudium verwendet worden war.*



## Hanns Eisler

\* 6. Juli 1898 in Leipzig


† 6. September 1962 in Ost-Berlin

Hanns Eisler war ein österreichischer Komponist, der neben seinen musikalischen Werken eine Reihe musiktheoretischer und einflussreicher politischer Schriften, aber auch ein Libretto hinterlassen hat.

Eisler gilt neben Alban Berg und Anton Webern als einer der später bekannteren Schüler Arnold Schönbergs und wird – trotz zeitweiliger inhaltlicher Differenzen zu seinem Lehrer – der Zweiten Wiener Schule zugerechnet. Er war politisch und künstlerisch gesehen der engste Weggefährte des Dramatikers und Lyrikers Bertolt Brecht, mit dem er von Ende der 1920er Jahre bis zu dessen Tod persönlich und musikalisch verbunden war. Einige seiner bekanntesten Werke hat er gemeinsam mit Brecht geschaffen.

Eisler hinterließ Klavier- und Orchesterwerke, eine Reihe kammermusikalischer Kompositionen, zahlreiche Bühnen- und Filmmusiken sowie über 500 Lieder, die vom Arbeiterlied bis zum zwölftönig komponierten Kunstlied reichen. Außerdem ist er der Komponist der DDR-Hymne.

*Quelle: Wikipedia*



IOANNES EISLER  
 COMPOSITOR ILLUSTRIS  
 SOCIUS BERTOLDI BRECHT  
 ANTE BIS TRIGINTA ANNOS OBIIIT

MMXXII

Vor 60 Jahren starb HANNS EISLER,  
 ein berühmter Komponist und Weggefährte von Bert Brecht.



## Karen Blixen

eigentlich Karen Christence von Blixen-Finecke, geborene Dinesen

\* 17. April 1885 in Rungstedlund bei Kopenhagen

† 7. September 1962 in Rungstedlund bei Kopenhagen

«O U T O F A F R I C A » S C R I P S I T

C A T H A R I N A B L I X E N

B O N A S C R I P T R I X

A N T E S E X A G I N T A A N N O S

V I I I D V S S E P T E M B R E S

E X V I T A E G R E S S A

M M X X I I

Sie hat „Out of Africa“ geschrieben.

Die große Schriftstellerin KAREN BLIXEN

ist am 7. September vor 60 Jahren gestorben.

Karen Blixen war eine dänische Schriftstellerin und siebzehn Jahre lang eine Kaffeeplanterin in Kenia. Ihr Pseudonym auf dem deutschen Buchmarkt ist meist *Tania Blixen*. Weltberühmt wurde sie durch ihren autobiographischen Roman *Jenseits von Afrika*. Ihr Werk ist von der Sehnsucht nach einer aristokratischen Weltordnung geprägt.

Blixens Werke umfassen autobiografische Erlebnisberichte aus Afrika, fantastische Erzählungen und Novellen. Die Veröffentlichungen erfolgten meist unter den Pseudonymen *Tania Blixen*, *Isak Dinesen*, *Osceola*, *Peter Lawless*, *Pierre Andrézel* oder *Nozdref's Cook*.

In der Zeit ihres Aufenthalts in Kenia hatte sich Karen Blixen angewöhnt, statt in ihrer Muttersprache auf Englisch zu schreiben. Das behielt sie auch in Dänemark so bei, schrieb erst auf Englisch und übersetzte dann selbst ins Dänische. Viele ihrer Bücher wurden parallel auf Englisch und Dänisch publiziert. Ihr Englisch war von großer Raffinesse und Schönheit. Besonders die atmosphärische Dichte ihrer Werke wurde viel gerühmt. Ihre Arbeit wurde von Ernest Hemingway und Truman Capote aufrichtig bewundert.

1954 ging das Gerücht um, Blixen solle den Nobelpreis für Literatur erhalten, der dann allerdings an Ernest Hemingway verliehen wurde. Der lobte Blixen und meinte, sie sei des Preises eigentlich würdiger gewesen; aber auch ohne den Preis müsse man sie immer zu den „großen Frauengestalten“ ihres Jahrhunderts zählen. Tatsächlich gelangte Blixen 1962 in die engere Auswahl für den Literaturnobelpreis gemeinsam mit u. a. Jean Anouilh, Lawrence Durrell, Robert Graves und John Steinbeck. Ihr Tod am 7. September verhinderte aber eine mögliche Auszeichnung und der Preis wurde Steinbeck zugesprochen.

**Quelle: Wikipedia**

**Charles III.** (\* 14. November 1948 im Buckingham Palace, London, als Charles Philip Arthur George) ist seit dem 8. September 2022 König des Vereinigten Königreichs Großbritannien und Nordirland sowie von 14 weiteren, als Commonwealth Realms bezeichneten souveränen Staaten einschließlich ihrer Territorien und abhängigen Gebiete. Darüber hinaus ist er Oberhaupt des 56 Staaten umfassenden Commonwealth of Nations, Lehnsherr der britischen Kronbesitzungen sowie weltliches Oberhaupt der anglikanischen Staatskirche.

*Quelle: Wikipedia*



CAROLVS III  
 REX REGNI BRITANNIARVM NOVVS  
 VIVAT STVDIOSVS ARTIS NOBILIS  
 AC STRENVVS OECOLOGISTES

MMXXII

CHARLES III. ist Großbritanniens neuer König.

**Hoch lebe der edle Schöngest und tatkräftige Umweltschützer.**

## Elizabeth II.

\* 21. April 1926 als Elizabeth Alexandra Mary in Mayfair, London  
 † 8. September 2022 in Balmoral Castle

ELIZABETH II  
 REGINA BRITANNIARVM PRAECLARA  
 AC PRAESES LAICALIS ECCLESIAE ANGLICANAE  
 VITA CESSIT

MMXXII

ELISABETH II.,  
 Großbritanniens berühmte Königin  
 und weltliches Oberhaupt der Anglikanischen Kirche,  
 ist gestorben.

Elizabeth II. aus dem Haus Windsor war von 1952 bis zu ihrem Tod Königin des Vereinigten Königreichs Großbritannien und Nordirland sowie von 14 weiteren, als Commonwealth Realms bezeichneten souveränen Staaten einschließlich deren Territorien und abhängigen Gebieten. Darüber hinaus war sie das Oberhaupt des 56 Staaten umfassenden Commonwealth of Nations, Lehnsherrin der britischen Kronbesitzungen sowie weltliches Oberhaupt der anglikanischen Staatskirche von England. Elisabeth II. war in Personalunion das Staatsoberhaupt des Vereinigten Königreichs sowie folgender Commonwealth Realms: Antigua und Barbuda, Australien, Bahamas, Belize, Grenada, Jamaika, Kanada, Neuseeland, Papua-Neuguinea, St. Kitts und Nevis, St. Lucia, St. Vincent und die Grenadinen, Salomonen und Tuvalu. Während ihrer Regentschaft variierte die Zahl der Commonwealth Realms, da die meisten britische Kolonien ihre Unabhängigkeit erlangten und mehrere dieser Staaten sich zu Republiken erklärten. Daher war Elisabeth II. zeitweilig auch Königin von Barbados, Ceylon, Fidschi, Gambia, Ghana, Guyana, Kenia, Malawi, Malta, Mauritius, Nigeria, Pakistan, Sierra Leone, der Südafrikanischen Union, von Tansania, Trinidad und Tobago sowie Uganda. Nur im Vereinigten Königreich übte die Königin ihre fast ausschließlich repräsentativen Rechte und Pflichten persönlich aus. In den übrigen Commonwealth Realms wurde sie durch Generalgouverneure vertreten. Aufgrund jahrhundertealten Gewohnheitsrechts war sie de facto eine konstitutionelle, parlamentarische Monarchin.

Ihre Herrschaftszeit, 70 Jahre und 214 Tage, war eine der längsten der Geschichte. Sie hatte den Thron länger inne als jeder britische Monarch vor ihr und war zum Zeitpunkt ihres Todes das am längsten amtierende Staatsoberhaupt der Welt.

**Quelle: Wikipedia**

## Javier Marías

\* 20. September 1951 in Madrid

† 11. September 2022 in Madrid

Javier Marías war ein spanischer Schriftsteller, Kolumnist und Übersetzer. Zu seinen Werken gehören die Romane „El hombre sentimental“ (1982, deutsch: „Der Gefühlsmensch“), „Todas las almas“ (1986, deutsch: „Alle Seelen“) und „Corazón tan blanco“ (1992, deutsch: „Mein Herz so weiß“), der ein internationaler Erfolg wurde.

Er starb am 11. September 2022 im Alter von knapp 71 Jahren an einer durch eine SARS-CoV-2-Infektion verursachten Lungenentzündung.

Bis 2012 hatten seine Werke eine weltweite Gesamtauflage von über sechs Millionen verkaufter Exemplare erreicht. Sie wurden in 34 Sprachen übersetzt und in über 50 Ländern veröffentlicht.

*Quelle: Wikipedia*



XAVERIVS MARIAS  
 SCRIPTOR PRAECIPVVS HISPANICVS  
 DEFVNCTVS AETATIS LXX

MMXXII


Der vorzügliche spanische Schriftsteller JAVIER MARÍAS  
**ist im Alter von 70 Jahren gestorben.**

## Julius Röntgen

\* 9. Mai 1855 in Leipzig  
† 13. September 1932 in Utrecht

Der deutsch-niederländische Komponist und Pianist Julius Röntgen entstammte einer deutsch-niederländischen Musikerfamilie. Johannes Brahms hatte den größten Einfluss auf seine Kompositionen. Röntgen hatte eine Vorliebe für alte Volksmusik (etwas, das er mit seinem Freund Edvard Grieg teilte) und schrieb Arrangements alter niederländischer Tänze und Lieder. Er hinterließ mehr als 600 Werke. Der englische Musikwissenschaftler Donald Tovey schrieb 1932 in einem Nachruf auf Röntgen in der *Times*: „Sein kompositorisches Werk kennt jede Form von Musik und demonstriert damit die vollständige Beherrschung der Kompositionstechniken. Alle seine Werke zeugen von seiner besonders großen musikalischen Begabung.“ Nach Röntgens Tod geriet seine Musik zeitweilig in Vergessenheit, wurde aber im 21. Jahrhundert wiederentdeckt.

Quelle: Wikipedia



NONAGI<sup>I</sup>NTA ANNI<sup>S</sup> ANTE DE<sup>C</sup>ESSIT  
IVLIV<sup>S</sup> ROENTGEN  
COM<sup>P</sup>OSIT<sup>O</sup>R ET CLAVIC<sup>E</sup>NI<sup>S</sup>

\* \* \*

NONAGI<sup>I</sup>NTA ANNI<sup>S</sup> ANTE  
IDI<sup>B</sup>VS SEPT<sup>E</sup>M<sup>B</sup>R<sup>I</sup>VS  
VL<sup>T</sup>RATRA<sup>I</sup>E<sup>C</sup>T<sup>I</sup>E VITA EGRESS<sup>V</sup>S  
IVLIV<sup>S</sup> ROENTGEN  
BON<sup>V</sup>S ARTI<sup>F</sup>E<sup>X</sup> ATQ<sup>V</sup>E CLAVIC<sup>E</sup>NI<sup>S</sup>



Vor 90 Jahren starb der Komponist und Pianist JULIUS RÖNTGEN.

\* \* \*

Am 13. September vor 90 Jahren starb in Utrecht

**der große Künstler und Pianist JULIUS RÖNTGEN.**


## William Faulkner

\* 25. September 1897 in New Albany, Union County, Mississippi

† 6. Juli 1962 in Byhalia, Mississippi

William Faulkner war ein US-amerikanischer Schriftsteller. Faulkner, der 1950 den Nobelpreis für Literatur nachträglich für das Jahr 1949 erhielt, gilt als bedeutendster US-amerikanischer Romancier des 20. Jahrhunderts.

*Quelle: Wikipedia*



GVLIELMVS FAVLKNER  
 SCRIPTOR BONVS  
 SEXAGINTA ANNIS ANTE  
 PRIDIE NONAS IVLIAS  
 VITA CESSIT  
 AETATIS SVAE LXIV

MMXXII

Am 6. Juli vor 60 Jahren starb im Alter von 64 Jahren

**der große Schriftsteller WILLIAM FAULKNER.**

## Grace Patricia Kelly

\* 12. November 1929 in Germantown, Philadelphia, Pennsylvania

† 14. September 1982 in Monaco

Grace Kelly war eine US-amerikanische Filmschauspielerin und Oscar-Preisträgerin. Infolge der Hochzeit mit Fürst Rainier III. von Monaco im Jahr 1956 änderte sich ihr Name mit dem neuen Titel in *Princesse Grace de Monaco* beziehungsweise *Grace Patricia Grimaldi*. Im deutschen Sprachraum ist die Bezeichnung *Fürstin Gracia Patricia von Monaco* oder verkürzt *Gracia Patricia* üblich.

Bekannt für ihr stilsicheres Auftreten setzte Gracia Patricia teilweise weltweit modische Trends. Ihre Präsenz im Fürstentum verhalf Monaco zu neuem Ansehen und wirtschaftlichem Aufschwung. Das *American Film Institute* wählte sie auf Platz 13 der 25 größten weiblichen amerikanischen Filmstars aller Zeiten.

Quelle: Wikipedia



GRACE KELLY  
 ATRIX GRACILIS  
 POSTEA GRACIA PATRICIA  
 PRINCIPISSA MONOECI NOBILIS  
 VXOR RAINERII III  
 BIS VIGINTI ANNIS ANTE  
 EX VITA EGRESSA  
 AETATIS LII

MMXXII

Die grazile Schauspielerin GRACE KELLY,  
 später GRACIA PATRICIA, Monacos vornehme Fürstin  
 und die Gattin von Rainier III.,  
 starb vor 40 Jahren im Alter von 52 Jahren.

## Juliette Gréco

\* 7. Februar 1927 in Montpellier

† 23. September 2020 in Ramatuelle

Juliette Gréco war eine französische Chansonsängerin und Schauspielerin. Sie wurde als *grande dame de la chanson* bezeichnet und galt als Muse der französischen Existentialisten.

Ihre Chansons wie *Si tu t'imagines* oder *L'Éternel féminin* wurden Ende der 1940er Jahre zu Hits. Schriftsteller wie Jean-Paul Sartre, Françoise Sagan, Jacques Prévert, François Mauriac und Albert Camus schrieben für sie Texte. Gleichzeitig wurde sie als Schauspielerin bekannt.

Trotz ihrer Erfolge erreichte Gréco nicht die Popularität einer Édith Piaf. Diese war volkstümlich, sang mit Pathos und voller Lebenskraft. Grécos Lieder hingegen wurden meist in leisem Ton mit wohlkalkulierter Gestik vorgetragen, im kunstvollen Stil einer Diseuse, sie galten als intellektuell und waren zuweilen auch politisch. Grécos Zielgruppe war somit von vornherein kleiner.

Quelle. Wikipedia



IVLIOLA GRECO  
 BONA CANTRIX ET ACTRIX FRANCICA  
 ANTE DVOS ANNOS  
 XI KAL. OCTOBRES  
 VITA DECESSIT  
 AETATIS SVAE XCIII

MMXXII

Am 23. September vor zwei Jahren  
 starb die große französische Sängerin und Schauspielerin

JULIETTE GRÉCO  
 im Alter von 93 Jahren.

## Christian Rättsch

\* 20. April 1957 in Hamburg


† 17. September 2022

Christian Rättsch war ein deutscher Altamerikanist und Ethnopharmakologe. Sein Fachgebiet war die Erforschung des ethnomedizinischen und rituellen Gebrauchs von Pflanzen und Pilzen, insbesondere der kulturellen Nutzung psychoaktiver Pflanzen und Pilze im Schamanismus.

Rättschs im Jahr 1998 erstmals erschienene *Enzyklopädie der psychoaktiven Pflanzen* wurde in verschiedene Sprachen übersetzt. Die *Enzyklopädie* gilt mittlerweile als Standardwerk im Bereich Psychoaktive Substanzen.

Rättsch starb unerwartet an den akuten Folgen eines Magengeschwürs während einer Lesereise anlässlich des Erscheinens seines Buches *Enzyklopädie der psychoaktiven Pflanzen – Band 2*, das er gemeinsam mit Markus Berger verfasst hatte.

Quelle: Wikipedia



CHRISTIANVS RAETSCH  
 ETHNOLOGVS TETONICVS  
 ETHNOPHARMACOLOGVS INCLYTVS  
 XV KAL. OCTOBRES  
 VITA CESSIT  
 AETATIS LXV

MMXXII

Am 17. September starb im Alter von 65 Jahren  
 der deutsche Ethnologe und berühmte Ethnopharmakologe

**CHRISTIAN RÄTTSCH.**

**HAEC CHRONOGRAMMATA  
ARTIFICIOSE CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER**



# PRAXICOPEMA QUID SIT


IN UNIONE SOVIETICA ET IN TURCIA  
NECNON IN GERMANIA



**Praxicopema Sovieticum** a.1991: 8 membra Graphei Politici – 4000 milites – 350 harmata – 500 autoplaustra – totus apparatus Officii Secreti (KGB)

**Praxicopema Turcicum** a.2016: 8000 milites – 35 machoplana – 74 harmata

„Praxicopema“ **Germanicum** a.2020: 1 princeps nobilis – 22 redituarii – 1 sclopetum – pyxides conservatoriae rabiolis completae



**ECCE TRES GERMANI »CIVES IMPERIALES«**  
REGI SUO FIDELISSIME DEDITI NOVARUM RERUM CUPIDISSIMI

# PETAURUM SIVE RESULTACULUM

## QUID SIT



**petaurum**, -ī n. sive **\*resultāculum**, -ī n.  
*Trampolin – trampoline – trampoline – trampolin – trampolino*

**petaurista**, -ae m. sive **\*resultātor**, -ōris m.  
**\*petauristria**, -ae f. sive **\*resultātrīx**, -īcis f.

**petaurista**, -ae m.  
 973

SYN. **\*resultātor**, -ōris m.

*Trampolinspringer – trampolinist – trampoliniste – saltador – trampolinista*

SYN. **\*resultator/-trix**

ThLL 10.1.2., 1933,54-64, s.v.: **petaurista**, ae m., πεταυριστής, *formae certae gr. desunt praeter acc. -en* VARRO frg.Non.p.56,30. [*e conii. dub.* TITVLVS Mart.5,77, v. *Heraeus in adn. crit. ad l.*] 1 *proprie significatur athleta, saltator, qui fere petauro utitur: ...*(lin.62sqq.) NON.p.56,26 *petauristae a veteribus dicebantur, qui saltibus vel schemis (schenis var. l.) levioribus moverentur; et haec proprietas a graeca nominatione descendit, ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι ... deriv.: petauristarius.*

**\*petauristria**, -ae f.

SYN. **\*resultātrīx**, -īcis f.

cfr Lexicon Licoppanum s.v. acrobate: «acrobate: petaurista (Ant.) et petauristria (f.)»

**petaurum**, -ī n.  
 973

SYN. **\*resultāculum**, -ī n.

*Trampolin – trampoline – trampoline – trampolin – trampolino*

SYN. **\*resultaculum**.

TEST. ThLL 10.1.2., 1934, 8-22 s.v.: **petaurum**, ī n., πέταυρον (-ταυ-). *scribitur pi-* NOT.Tir. et l.25sq., -teu - LVCIL. (-tau- var. l.), FEST. NOT.Tir. 107,62 *petaurum. 1 proprie significatur machina vel instrumentum, quo athletae, saltatores sim. utuntur (sc. ut fere iacentur in aere vel motu alternante sursum deorsumque ferantur; de re disputatur; v. e.g. Kroll-Mehle, RE XIX 1124, 40sqq. Slater, Am. Journ. Arch.80,1976,423sqq.): LVCIL.1298 sicut mechanici, cum alto exiluere petauro (affertur a FESTO, v. p.1933,59; ad rem cf. Rubenbauer, vol.VIII 515,71sqq.). MANIL.5,439 corpora, quae valido saliant excussa petauro alternosque cient motus, delatus et ille hunc iacit, atque huius casu suspenditur ille, membrave per flammam orbesque emissa flagrantis eqs. (Hübner, Gnomon 59,1987,28sq.; iacet codd.) PETRON.frg.15 *petauro... iubente modo superior, <modo inferior> (add. Housman). MART.2,86,7 inepte facis, si per graciles vias petauri invitum iubeas subire Ladan cursorem. IVV.14,265 oblectant animum iactata petauro corpora quique solet rectum descendere funem...**

# CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

**Zum 12. September, dem Fest des Namens der Muttergottes  
Maria:**

2022\* o fest**IVI**tas no**MI**nIs fort**IS** et p**II** **VI**rg**IN**Is Parent**IS** **Mar**Iae! – Oh Fest  
des mächtigen und frommen Namens der Jungfrau-Mutter Maria!





## Stefan Lochner, Maria Im Rosengarten

Zum 13. September, dem Fest des heiligen Johannes Chrysostomus:

2022\* **Ioannes ChrYsostoMVs CoenobIta eXpertVs et orator egregIVs et DoCtor sapIentIae et patriIarCa fortIs InIVste eXpVLsVs eXstat. oret pro nobIs.**– Johannes Chrysostomus ragt heraus als erfahrener Einsiedler, als ausgezeichnete Redner, als weiser Lehrer und als zu Unrecht vertriebener standhafter Patriarch. Er bitte für uns.



Johannes Chrysostomus, Archangelsk, 16. Jh

**Zum 14. September, dem Fest der Erhöhung des Heiligen Kreuzes:**


2022\* **CLeMentIa DIVIna IesV In aLta CrVCe affIXI est sIne fIne LVX In VerItate VIVens atqVe res gerens.** – Die göttliche Milde des am hohen Kreuz angenagelten Jesus ist Licht ohne Grenze, das in der Wahrheit lebt und die Dinge zur Ausführung bringt.

2022\* eXaLtata et gLorIfICata sIt CrVX DoMInI nostrI IesV ChrIsti qVae est nobIs saLVatIo fortIs Vera, noVa atqVe perpetVa. – Erhöht und verherrlicht sei das Kreuz unseres Herrn Jesus Christus. Es ist für uns mächtige, wahrhaftige, je neue und ewige Rettung.




2022\* saLVe, CrVX, spes fortIs et VnICa MVnDI pro nobIs! eXsVLta, VoX pIa, aLLeLVia! – Sei begrüßt, Kreuz, für uns mächtige und einzige Hoffnung der Welt! Juble, fromme Stimme, halleluja!





**Brüder von Limburg: Tres riches heures des Duc de Berry, f. 193 r – Kreuzerhöhung**

**Zum 15. September, dem Fest der Sieben Schmerzen Mariens:**



**Schmerzensmutter von Knechtsteden (um 1450)**

2022\* **VI**rgo **sIngVLarIs** et **fortIs**, **stabas DoLorosa IVXta CrVCeM IesV**  
**ChrIstI VnIgenItI tVI**, ora **IbI sIne fIne** pro **totIs nobIs fILIIs tVI**s. –  
 Einzigartige und starke Jungfrau, du standest voller Schmerzen am Kreuz Jesu  
 Christi, deines eingeborenen Sohnes, bitte dort immer für uns alle, deine Kinder.

Zum 18. September, dem 25. Sonntag im Jahreskreis, Lesejahr B:

2022\* **eIa non potestIs In pIetate serVIre DVobVs DoMIInIs**. – Ei, ihr  
 könnt nicht in Treue zwei Herren dienen! – Lc 16,13

Zum 21. September, dem Fest des heiligen Apostels und Evangelisten Matthäus:

2021\* **MatthaeVs pVbLICanVs apostoLVs ChrIstI fVI**t pro **nobIs testIs fortIs** et  
**sCrIptor sapIens et VeraX eVangeLII Verbi DIVInI** et **AgnI**. oret pro **nobIs**.–  
 Der Zöllner Matthäus, Apostel Christi, war für uns ein starker Zeuge, ein weiser  
 und der Wahrheit verpflichteter Schriftsteller des Evangeliums des göttlichen  
 Wortes und des Lammes, er bitte für uns.

2022\* **MatthaeVs pVbLICanVs fVI**t apostoLVs **ChrIstI atqVe** pro **nobIs**  
**eVangeLII DIVInI sCrIptor ornatVs et VeraX**, oret pro **nobIs**. – Der Zöllner  
 Matthäus war Apostel Christi und für uns ein ausgezeichneter und  
 wahrheitsgetreuer Schriftsteller des göttlichen Evangeliums, er bitte für uns.

Zum 25. September, dem Gedenktag des heiligen Nikolaus von Flüe:



2022\* NICoLaVs FLVensIs pater faMILIAe, aLta DeI gratIa CoenobIta pater sapIentIae fortIs paCIIs patrIae. – Der Familienvater Nikolaus von Flüe <wurde> durch Gottes erhabene Gnade als Einsiedler der Vater des weisen und starken Friedens des Vaterlandes.

### **Zum 28. September, dem Gedenktag der heiligen Lioba:**

2022\* sanCta et pIa LIoba, fVistI fratris sanCti sapIentIs epIsCopI BonIfatII CrVCiferentIs soLatIVM peregrInatIonIs atqVe aVXILIatrIX LegatIonIs CathoLICae, oret pro nobIs totIs. – Heilige und gottesfürchtige Lioba, du warst des verwandten, des heiligen, das Kreuz bringenden weisen Bischofs Bonifatius Trost auf der Pilgerschaft und Helferin für den katholischen Legaten. Sie soll für uns alle beten.– Lioba, Verwandte des hl. Bonifatius, seit 735 Äbtissin von Tauberbischofsheim, + um 782, in Fulda neben dem Grab von Bonifatius beigesetzt; das Chronogramm unter Verwendung der Titel, die Bonifatius, der Bischof und päpstliche Legat, selbst seiner Verwandten in einem Brief gegeben hat.

### **Zum 29. September, dem Fest der Erzengel Michael, Gabriel und Raphael:**

2022\* sanCti arChangeLI MIChael propVgnator eXerCIItVs CaeLestIs, GabrIeL nVntIVs InCarnatIonIs Ioannis et IesV, Raphael qVI ItInerans astItIstI TobIae SaraeqVe, sItIs In terrIs nobIs Ingentes et paratI proteCtores – Ihr heiligen Erzengel Michael, du Vorkämpfer des himmlischen Heeres, Gabriel, du Verkünder der Menschwerdung von Johannes und Jesus, Raphael, der du

auf der Reise Tobias und Sara beigestanden hast, seid auf Erden uns mächtige und bereitwillige Schützer!

2022\* tres ar**ChangeLI**: **MIChaeL** p**V**gnat pro **Deo**, **GabrIeL** n**VntIat**, **Raphael** **CV**rat, orent pro nob**Is** **In** patr**Ia**. - Es gibt drei Erzengel: Michael kämpft für Gott, Gabriel verkündet, Raphael heilt, sie sollen für uns im Himmel beten.

Und weil Raphael Tobias beigestanden hat, hier ein Chronogramm unter Verwendung des Beginns des Buches Tobias:

2022\* **TobIas** e**X** tr**IbV** et **CIVITate** Nephta**LI**, q**V**ae est **In** s**V**per**IorIbVs** **GaLILaeI** s**V**pra Naasson, **NInIVe** **In** **CaptIVITate** posit**Vs** **VIA**M **VerItatIs** et **LegIs** patr**Is** **VITae** non **DeserVI**t atq**Ve** **In** p**I**etate **VIXI**t. - Tobias aus dem Stamm und der Stadt Nephtali, das in den oberen Bezirken von Galiläa oberhalb von Naasson liegt, hat in der Gefangenschaft in Ninive, den Weg der Wahrheit und des väterlichen Gesetzes nicht verlassen und fromm gelebt. – Tb 1,1.2



**Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515**



Allgäuer Bildschnitzer (1970-1975), aus dem Nachlass von Kardinal Meisner, heute  
Missionsmuseum Cruzeiro do Sul

Zum 30. September, dem Fest des heiligen Hieronymus:

2022\* **H**Ieron**Y**M**V**s **I**ste **D**o**C**tor **I**LL**V**str**I**s et **I**ngen**I**os**V**s **I**nterpres **B**ib**L**Iae  
**V**V**L**gatae **L**Ing**V**ae **L**at**I**nae q**V**ae nob**I**s **L**V**X** **V**er**I**tat**I**s **s**It. – Hieronymus,



dieser berühmte Lehrer und talentvolle Übersetzer der Bibel der Vulgata in der lateinischen Sprache, die uns allen ein Licht der Wahrheit sein möge.



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

**PIA HAEC CHRONOGRAMMATA**  
**CONFECIT**  
**PATER HERBERTUS DOUTEIL**  
**BRASILIENSIS**

## EPISTULAE ECHUS VOCES

### CHRISTIANUS LAES PRAESES ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.29 m.Nov. a.2022 h.22:47

**Nicolaus Groß Leo Latinus Christiano Laes Praesidi Academiae Latinitatis Fovendae maxime honorabili salutem plurimam dicit. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Christiane, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50); p.34-38 invenies Imagines Resuscitatorum Linguae Latinae Optime Meriti. Spero te iisdem rebus delectatum iri. In eadem symbola refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Die Saturni proxima praeterita, sessione Zoomiana ineunte - proh dolor - Vulcanus, ille deus rerum technicarum peritissimus, nobis non favit. Sed quod est dilatum, non est ablatum. Scribe mihi, quando Theodericus acroasin suam facturus sit. D.22. tibi - per inscriptionem Nicolai De Mico - misi epistulam infra positam. Iamne legisti? Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**

d.22. m.Nov. a.2022

**Nicolaus Groß Leo Latinus Christiano Laes Praesidi Academiae Latinitatis Fovendae maxime honorabili salutem plurimam dicit. S.V.B.E.E.V.**

Gratias tibi ago magnas, care Christiane, quod me ad orationes zoomianas invitavisti; libenter audiam acroasin, quam die Saturni faciet Theodericus noster. Cum scribas autem nondum multo nomen dedisse ad orationem menstruam, scias me, si licuerit, paratum esse ad relationem DE ORBIBUS PICTIS prioribus generaliter, de meo mox finiendo specialiter habendam aut mense Ianuario aut postea. Quid sentis de tali relatione? Suntne iam omnes quinque oratores inventi an restat dies acroaseos vacuus? Haec haectenus breviter, sed mox, si volueris, plura tibi scribam.

Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Groß Leo Latinus.**

d.30. m.Nov. a.2022 h.09.20

**Christianus Nicolao, sodali optimo atque leoni strenuissimo!**

Modo perlegi symbolam tuam in ultimo Leonis Latini fasciculo: perplacuit quod scripsisti de Latinitate Viva -- inter praestantissima procul dubio scripta ad hanc rem pertinentia numeratur opusculum tuum! - De Vulcano, sive de rebus technicis, quid dicam? Mox, fortasse hodie vel cras, accipies novum ordinem rerum agendarum in quo ... velim et inserere nomen tuum. Est adhuc locus, pro certo! **Tibine placuerit finis mensis Aprilis?** Iam nomina dederunt Sacré, Smolak, Rossi et tu. - **Ceterum, iam nunc nos omnes exspectamus Orbem tuum perfectum!** Fac me, quaeso, certiozem! Medullitus te saluto, **Christianus tuus.**

**Christianus Laes omnibus sodalibus ALF salutem plurimam!**

Musa technica, si exstat, non nimis nobis favente, sodales carissimi, fieri nondum potuit ut prima acroasis menstrua haberetur. Sed lubet mihi nunc programma vobis annuntiare hoc:

die 28 mensis Ianuarii: Theodericus Sacré, De Livio, sed Andronico, carmen ignotum atque ineditum;

die 25 mensis Februarii: Curtius Smolak, "FLENTEM dicere verum" sive De saturis non satiricis;

die 25 mensis Martii: Carolus Rossi, Claudius Piga: De Federico Borromaeo eiusque columnis colossicis;

die 29 mensis Aprilis: Nicolaus Gross, De Orbe Picto, sive de lexico Hexaglotto.

Quas **sessiones instrumento Zoomiano nixas**, vobis semper annuntiabit Nicolaus noster De Mico. Semper habebuntur **hora quinta postmeridiana Bruxellensi**.

Vos interea valeatis pancratice atque venite, quaeso, frequentes!

**Prof. Dr. Christian Laes** Departement Geschiedenis/ Department of History Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp Stadscampus · S.SJ.303 · Sint-Jacobsmarkt 13 · 2000 Antwerpen B 2000 Antwerpen

**MAURUS PISINI**

**Nicolaus Mauro suo sal.pl.dic.**

Summas gratias, mi care Maure, tibi ago pro sententia tua, quam protulisti et aequo animo et subtili necnon ratione scribendi decora. Licetne epistulam tuam divulgare?

Vale semper et perge indefesse pro Latinitate pugnare. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

**Maurus Nicolao s.**

Certe, carissime. Potes litteras meas vulgare, si ipsae tibi cum Epistulis Leoninis consentire videntur. Sin aliter, desiste. Nox tibi quietas! Vale.

d.29 m.Nov, a.2022 h.21:56

**Nicolaus Mauro s.**

Care Maure, accepistine EL 266? Doleo, quod tam diu tibi expectandum fuit. Nonne mihi nuper carmen aliumve textum misisti publicandum? Quod non iam cum inveniam, rogo, ut mihi iterum mittas. Pancratice vale, mi poeta Latinissime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.30. m.Nov. a.2022 h.15:05

**Maurus Nicolao s.**

E. L. novissimam, carissime, heri accepi et gratias ago tibi quam maximas! Hodie, si potero, tibi iterum mittam quae nuper commentariis tuis destinaveram. Valeas interea meque meaue perge diligere. M.

**Nicolaus Mauro s.**

Gratias plurimas, care Maure, quoad paratus es ad symbolam tuam iterum mittendam. Spero te argumentis Leoninis delectatum iri. Vale semper. Haec brevissime, mox, si volueris, plura scribam

**Nicolaus Leo Latinus****Maurus Nicolao s.**

En, tibi, Nicolae, quae a me humaniter petieras. His addo versiculos quosdam quos edas precor. **Vale Maurus.**

**Maurus Nicolao s. p. d.**

Epistolia legi, carissime, quae dies aliquot ante dederas mi, at ipse de rebus huiusmodi vix queo dicere, quia quaestiones quas attingunt, licet mi haud ignotas, numquam penitus novi, nihilominus, quantum potero easdem in respondendo adgrediar.

Ceterum, fateor me, cum de studiis nostris nec non de vivo Latini sermonis usu in epistulis a te editis agitur, maxima animi intentione teneri, cum autem de aliis rebus tractatur, minus moveri, quamquam, saepe, propter argumenta a te proposita sincera curiositate trahor, ut factum est mi ob litteras quas nuper lectitavi. Ideo, conabor tuis rogatis efficacem dare responsionem quam, nunc, me satis medidatum puto.

Andreae Pizzotti probo prudentiam, quamquam, hac vice, supervacaneam puto. Nam, Lucii Iunii Bruti, qui ita sese appellat, opinionem in vulgus dare, ut scripsisti, nemini vulnus infert, ideo, mea sententia, typis danda est, ut lectores, si voluerint, eam attente considerent. Verba eius, abs dubio, apertae acrimoniae ita indulserunt, ut legentium animos lacerarent, at ipse hoc minime factum puto, utpote cum ea talia sint quae, cum animose loquimur, ex ore promi soleant. Verum tamen, cogitationes eius non omnino erratas iudico eo loco, praesertim, ubi adfirmat graviores rerum socialium eventus histrionica hilaritate regi non posse neque sub aliquo humanae sexualitatis vel discrimine vel principio ita eadem themata poni aut occultari, ut a praeiudicatis opinionionibus omnino pendeant. Praeterea, in verbis eius ulla invidiae vestigia reperio, ipsius autem timores percipio propter res quasdam recentioribus moribus homosexualium adscriptas, qui in hodiernis occidentalium hominum societatibus nimium cito immutati esse videntur neque semper in melius. Tranquillo igitur animo ad illius humanitatem respicio qua se moris traditi servatorem ostendit.

Itaque, opiniones eius quadam saltem ex parte retinendas puto, maxime quod attinet ad eas publicas homosexualium exhibitiones haud parum ludicras quaeque, fortasse, coram oculis omnium magis austerae esse deberent quasque mares et feminae LGBT appellati ad sua iura publice flagitanda, tuenda, firmanda solent adhibere. Interdum, enim sunt spectacula nimis impudica, festiva, tamen, etsi, fortasse, iam sua compleverunt fata, siquidem res huiusmodi apud hominum considerationem facile

senescunt. Nihilominus, uniuscuiusque nostrum identitas semper tuenda est, etiam cum haec ardua libertatis testimonia exquirat.

His de causis, illius argumentationes rimatus, sapientiam tuam in ei respondendo resque omnes ad unguem inquirendo valde laudo ac tibi consentio. Quod autem pertinet ad hodiernam morum sexualium immutationem, rem in pristinum rerum statum irremeabilem iudico neque, abhinc, ullo modo ad sanam, nisi in somniis, puritatem, si ipsam aliquando exstitisse concedimus, revertemur, licet eadem una et naturalis existimata sit a plerisque eorum qui nos in hac mundi scaena antecesserunt.

Improbo tamen, ut dixi, theatrales homosexualium apparatus cum ipsi variis modis, locis, occasionibus ostentantur. Nam, meo iudicio, si ipsi volent pares cum ceteris hominibus haberi et locum iisdem legitime destinatum in hac hominum consortione ex iure occupare, fiant in dicendo, agendo sese monstrando simpliciores neque importuni intemperantiae cultores.

Nihilominus, de rebus quas ambo perpendistis humanorum morum historia, ut dixi, iam suam dedit sententiam quae, ni fallor, quamquam omnia continuo surgunt, crescunt, moriuntur, diu stabit. Nam, ultra quaestiones ab utroque positas, stat nuda rerum realitas quae, nisi attente aestimetur, verti solet in peius, quamque concurs tantummodo multorum voluntas valet in aliquid a plerisque, nisi ab universis, probatum componere, neque id effici potest per unius tantum consilium quod, pro dolor, mala tyrannidis principia redolet. Haec, hac nostra aetate, est, ut video, apud nos, forma saepius usitata democratiae.

Quod ad me attinet, unum homosexualitatis exemplar quod penitus intellego est illud Graecanicum vetustissimum et heroicum appellatum quod vero experiri voluissem inter arma, pugnas, epulas, si iisdem interfuissem, nec non inter genuinae amicitiae vincula aliaque innumera, iuvenilis aetatis propria, quibus veterum poesis quam maxime scatet quodque virilitatis notas numquam amittit, etiam cum penitus admittit et sensus teneriores et libidines iucundas. Illud quoque paedagogicum probaverim exemplar quod Romani a Graecis derivarunt sibique eleganter aptarunt, usi verbis, modis, gestibus fere numquam effeminatis (quos valde improbabant), at sincero adfectuum tenore fultis, quod, ut plerique norunt, inter magistrum atque discipulum maxime enituit.

Ut vere dicam, de hodierno homosexualitatis cultu disserere mea parum interest, praesertim cum sub maritalis vinculi specie consideratur. Ipse enim vix coniugii formam probo, nisi ad tempus accipiatur. Probo autem maxime in coniugio amorem, quem rem privatam esse firmiter autumo, non autem publicam, donec mutua inter amantes maneat dilectio. Sin aliter, matrimonium quodvis genus, placeat displiceat, dum per annos progreditur, res, saepe, dissimilis evadit atque ea quae ab ortu fuerat nec non, haud raro, molesta, vacua, sterilis vel prona ad venenatas controversias inter coniugem utrumque. Hoc enim peculiare matrimonii specimen, quod homosexuales et consequi et retinere omnimodis volunt, mihi videtur esse *aliquid singulare* quod partim miror, partim autem nequeo medullitus amplecti.

Hoc, ni fallor, mihi ita accidit cogitare quia nonnullis eorum patenter conicio inesse periculosae levitatis vitia quae sunt aetatis nostrae, quibus ipsorum natura plus minusve indulget et contra quae homosexuales firmis autem ingenii armis se opponere deberent. Vale!

### **JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23:55

**Nicolaus Groß Leo Latinus Joanni Carolo suo Epicureo sal.pl.d. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Joannes Carole, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eadem symbola refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latine reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. Ben Jehuda fuit vir vere singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industria atque perseverantia id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. - De his rebus aliisque quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

30.d.Nov. a.2022 h.20.06

**Joannes Carolus Nicolao s.**

Accepi nuperrime, mi Nicolae, lectitavi hac illac - uberius est enim materia proposita quam ut brevi tota consideretur - sed paulisper in anagenesi linguae Hebraicae immoratus sum, de qua nonnulla a patre Suitberto meo, qui linguas semiticas Vindobonae diu tradidit, acceperam. Mox autem tecum plura. Interea vale multum.

d.02. m.Dec. a.2022 h.01:53

**Nicolaus Joanni Carolo Epicureo sal.pl.**

Pergas, quaeso, care Joannes Carole, Leoninam lectitare, et quaecumque tibi in buccam venerint, scribe mihi: quae - ni erunt nimis obscaena (!) - divulgabo in proxima Epistula Leonina. Nam maxime aestimo Latinitatem tuam politissimam, quae oportet sit exemplo lectoribus Latine scripturientibus. Vale basilice, mi care sodalis, et carpe diem, sis animo sereno etiam caelo nubilo et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus. Modo lexicon meum pertractans audio modos musicos Ennii Morriconis compatriotae tui, quibus animus semper inflammatur! Quid tibi videtur de musica Morriconiana? Et de cinematibus Sergii Leonis? Scribas mihi! **NLL**



d.02. m.Dec. a.2022 h.09:14

**Joannes Carolus Nicolao s.**

Primo mane symbolam tuam, quam coram Sodalicii Leoniani asseclis habuisti theodisce, legi, in qua multa conguessisti argumenta, quibus et ipse uti soleo. Non dubito quin nonnullis auditoribus persuaseris de linguae latinae praestantia. Hoc autem te rogare volo. In extrema oratione Arthuri Schopenhauer philosophi mentionem iniecisti, asserentis versionibus e proprio in Romanorum sermonem valde mentis aciem exerceri. Idem quondam legisse mihi videor in Voce Latina, sed nec memini loci, neque alibi istam philosophi sententiam repperi. Pergratum igitur feceris, si mihi locum significaveris unde decerptus sit. Vale leonine amice!

d.02. m.Dec. a.2022 h.12:49

**Nicolaus Joanni Carolo suo s.**

En habes ARTHURUM TOGATUM (v. appendicem: Epistula Leonina XX, d.09. m.Febr. a.2009, p.7-15: De lingua et verbis). Utinam lectione Arthuri hellueris! Haec brevissime, mox, si volueris, libenter plura scribam. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**.

**IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23.14

**Nicolaus Groß Leo Latinus**

**Iohanni suo Batavo Valdorpiano musico et interpreti Latinissimo salutem plurimam dicit. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Iohannes, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eadem symbola refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latine reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. Ben Jehuda fuit vir vere singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industria atque perseverantia id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. - Accepistine melodias novae Symphoniae Danubianae quas tibi misi? Placentne tibi? - Interimne legisti fabulam Nucarii compatriotae tui? Estne ea digna, quae a te toga donetur? - De his rebus aliisque quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

d.30. m.Nov. a.2022 h. 08.16

**Salvus sis mi optime Leo,**

*Epistulam* tuam novissimam accepi nondum vero legi. De Ben Jehuda illo iam ante multos annos didici tibi prorsus assentior eum res vere miras perfecisse. - Iestas Symphonias Danubianas equidem non accepisse mihi videor nescio qua de causa. Ad

fabulam illam Nucarianam investigandum legendum convertendum hoc tempore tempus mihi (pro dolor!) omnino deest. Optime valeas cura! **Johannes tuus**

### **DAVID EDWARDS BRITANNUS**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23:38

#### **Eduardus Nicolao s.**

Nett, danke! Es ist an der Zeit, dass Sie etwas arbeiten. All conspiracy and no play makes Jack a dull way! Omnis coniuratio et nulla fabula Jack hebetem viam facit!

d.29. m.Nov. a.2022 h.23:51

#### **Nicolaus Eduardo s.**

Quid ais, bone Eduarde? Die noctuque immersus sum Oceano vocabulorum, quae omnia quam Latinissime explicare mihi est labor durissimus. Tu autem dicis me non laboravisse? Nunc demum laborem continuare? Vah tu procacissime impudentissime trifurcifer!!! **NLL**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23:56

#### **Eduardus Nicolao s.**

Oh Chill! I am saying that I am delighted by your work. It is superb! It is, by far, the best you have made. It is so interesting and pertinent. I have already printed it out, and am working on speaking it out loud. I hope to send you the audio file. Thanks, and God bless you.

d.30. m.Nov. a.2022 h.00.01

#### **Nicolaus Eduardo s.**

Quid? Tot paginas iam expressisti instrumento typographico? Nullane tibi est conscientia oecologica? Nonne paenitet te charta adhibenda destruere et profundere lignum arborum pretiosissimum? Cave, ne puniaris a Prasinorum caterva pravissima! **NLL**

### **VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23.59

#### **Nicolaus Groß Leo Latinus Victorio suo salutem plurimam dicit. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, Victori carissime, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eadem symbola refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latine reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. Ben Jehuda fuit vir vere singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industria atque perseverantia id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. - De his rebus aliisque quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi.

Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

d.02. m.Dec. a.2022 h.15.42

**Victorius Nicolao suo sal. plur. dicit.**

Totam epistulam Leoninam 266 attentius (saltem pro deminuta mea oculorum acie) legi eandemque maximi momenti esse puto. Quare gratias tibi ago singulares. Chronologia autem, quae sub photographematis quorundam summorum Latinistarum legitur (p. 34), emendanda est; itaque scribendumst: Antonius Bacci (1885-1971); Iosephus Maria Mir (1913-2000); Carolus Egger (1914-2003); Reginaldus Foster (1939-2020). Atque Lynnei quoque vita (p. 44) corrigenda est ita: 1707-1778. Praeterea, quoniam epistula tua multas considerationes alit, quasdam opiniunculas meas aperiam etsi a tuis diversas.

1) De controversia te inter et 'Ephemeridis' moderatorem habita itero quae iam tibi scripseram: censuram qualemcumque omnino respuo; eam licitam puto tantummodo si quis 'in personam Sempronii vel Domitillae' invexerit.

2) Nihil de Georgia Meloni scripseram, quia immaturum mihi videtur quodcumque iudicium de illa muliere, quae tantum abhinc duos menses munere suo fungi coeperat. Iudicia intempestiva proferre, optime Nicolae, meum non est. Quae olim acciderunt intellegere contendo (si quid de privatis publicisque rebus gestis vere intellegi potest); futura minime curo, quia "nescio quid vesper serus vehat".

3) De bello Russico- Ucrainico: non me interrogo utrum Americani vel alii populi pro suis ipsorum emolumentis populum Ucrainicum adiuvent. Neque eos homines sequor, quibus mos cottidianus est Vladimirus Putin daemonizare. Ille se gerit ut Russi eadem, quam olim habuerunt, vi ac potentia iterum frui possint. Et hac de re minime eum culpandum esse iudico. Sed aperte respondeat(i)s quaeso velim: "Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?". Aliis verbis: sunt Ucraini adiuvandi aut non adiuvandi? Si adiuvandi, iis arma, ac tela continenter mittenda sunt, ne a Russorum exercitu profligentur. Ita se habet haec res, si frigido pacatoque animo ipsam ponderare velimus.

4) Demum plene Gaio Licoppe adsentior (p. 121 sqq), qui inter alia rectissima, tibi respondit etiam haec: «Ipse nolim in America vitam degere, sed scio nos Europaeos sine eorum auxilio iam vicesimo saeculo futuros fuisse omni libertate orbatos», propterea quod omnis potestas in manibus communistarum fuisset, saltem in Italia, quamquam hoc multi Itali agnoscere nolunt. **Valeas optime, Nicolae doctissime.**

d.02. m.Dec. a.2022 h.15.42

**Nicolaus Victorio suo sal. plur. dicit.**

Summas gratias pro litteris tuis, care amice! Multa et gravia adnotasti. Vae mihi, qui imagunculas interretiales iterum iterumque aegrê et scaevê huc illuc movens funditus falsaverim **chronologiam Resuscitatorum Latinitatis!** Necnon Linnaei obitum falso numero indicavi. Mea culpa! Correcturas tuas annuntiabo proximâ in Leoninâ. Ceterum non possum quin etiam eximiê te laudem, quod summam adhibes cautionem in iudicando.

Quod attinet ad **Americanos**, minimê nego eos dominatum Hitlerianum finivisse necnon Sovieticum cohibuisse. Sed haec tempora diu iam transacta sunt. Si Putino cupiditatem imperium Russicum augendi obicimus, quid dicamus de imperialismo

Americanorum eorumque cupiditate totius mundi subigendi, quam patet multo vehementiorem esse? Eisdem multo saepius ius gentium fregisse quam Russos manifestum est - tamen nemo ausus est sanctiones postulare Americanis imponendas. Isti domini "Terrae Ipsi Deo propriae" semper nobis affirmabant se nationibus parum eruditis beneficium democratiae tradituros esse. Dic mihi: Quam terram reverâ democratiâ beatificaverunt? Quid fecerunt de Vietnamîâ? de Afganistaniâ? de Iraciâ? de Libyâ? de Serbiâ? etc. etc. Multa destruxerunt, instabiles fecerunt magnas regiones.

Ceterum cum quaeras "*quis primus ense protulerit*" - in memoriam tibi revoco **Bellum Ucrainianum** non mense Februario demum inchoatum esse.

NATO enim (i.e. Americanorum gerulifiguli) iam pridem Russos irritaverat et provocaverat eo quod - contra promissiones suas priores - vehementer studuit Ucrainiam sibi adiungere: ingentibus adiumentis et exercitiis militaribus. Pro certo habeo Putinum non impetum fecisse ad potestatem Russiae augendam, sed ad potestatem Americanam, i.e. ruchetas nucleares, a Russiae limitibus arcendam. Nam haec est causa profundior belli Ucrainiani: Americani volunt Russiae potestatem deminuere; praecipuê volunt impedire, ne fiat commercium inter Russos et Europaeos. Itaque curaverunt gasiductus "*Nordstream*" displodendos - quod est facinus tromocraticum et scelestissimum!

Id quod Putinus facit, Americani semper faciunt, si credunt potestatem suam esse in periculum adductam. Memento crisin Cubanam! Fingas, quaeso, animo: Quid Americani facerent, si Russi in Mexico aut in Canadâ stationem militarem conderent? Facile dictu: Statim Russis bellum indicerent! Non desunt politologi Americani, qui hoc apertê confiteantur: Lege verba *Professoris Mearsheimer* Professoris doctissimi et sincerissimi:

<https://www.newyorker.com/news/q-and-a/john-mearsheimer-on-putins-ambitions-after-nine-months-of-war>

Ceterum seditionem *Maidanianam* non Ucrainios ipsos, sed Americanos provocavisse bene notum est. Accedunt negotia *Bidenii* eiusque spurii exsecrabilis sordidissima cum Ucrainiis facta, biolaboratoria ibi constructa, nacistae veri (*Banderiani*) in Ucrainiâ nequaquam infirmi.

Miserrimi autem omnium sunt Ucrainii ipsi (nequaquam in liberâ re publicâ viventes), qui a regimine Selenskii corruptissimo mandatu Americanorum (an accuratius dicam: globalistarum?) coguntur, ut pugnam pugnent sine verâ spe, sed cum ingentibus iacturis. Donbassienses et alii sunt maximam partem Russophoni et Russophili, itaque iterum iterumque vexabantur a regimine Chiovensi; eorum iura gravissimê laeduntur a regimine Selenskiano, cum ceteris tum eo quod non licet iisdem ûti Russico sermone in rebus publicis.

Denique si respicimus Russiam habere ingentem copiam ruchetarum atomicarum, insanum est alere flammam istius belli armis mittendis. Pax est quam studiosissimê petenda! Primo saltem indutiae sunt faciendae, ut tandem finiatur atrocissima effusio sanguinis! Russi ipsi parati sunt ad colloquia habenda, sed non paratus est istud neurospaston Americanorum Chiovense. Proh dolor - usque nunc Americana

gubernatio (quae sola habet veram potestatem belli finiendi) non favit paci, quia propter indigentiam vasallorum sui Europaeorum gasi et olei bene lucrata sperat Russiam longo bello definitê posse debilitari. - Tamen equidem dum spiro spero studiisque Latinis deditus animum a miseriis mundi... En optime Victori, aspice indicem sequentem - et intelleges omnium nationum bellicosissimam non esse Russicam neque Sinicam - sed Americanam! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

#### **QUOTIES OCCIDENTALES (AMERICA DUCE) EX ANNO 1980 FREGERINT IUS GENTIUM:**

- Annexion Jerusalems durch Israel 1980
- Annexion der Golan-Höhen durch Israel 1981
- verdeckte Kriegführung der USA gegen Nicaragua ab 1982 (inklusive Verminung der zivilen Seehäfen – Verurteilung durch internationalen Gerichtshof in Den Haag ignorierte Washington)
- US-Invasion in Grenada 1983
- US-Invasion in Panama 1989
- Krieg der USA und ihrer Verbündeten im Kosovo 1997/1998
- Krieg der USA und ihrer Verbündeten gegen den Irak und Sturz des irakischen Präsidenten Saddam Hussein 2003
- Krieg der USA und ihrer Verbündeten gegen Libyen und Sturz des Präsidenten Mohammed Gaddafi 2011
- Militäroperationen der USA und Einsätze der CIA in Syrien seit 2015
- Krieg unter Führung Saudi-Arabiens im Jemen seit 2015
- Folterungen durch US-amerikanische Soldaten in der irakischen Stadt Abu Ghraib 2003
- Betreiben des Gefängnisses in Guantanamo und zeitweise Folterung von Gefangenen seit 2002
- Folterungen auf dem US-Stützpunkt im afghanischen Baghram während des US-Einsatzes in der Zeit zwischen 2001 und 2021
- CIA-Foltergefängnisse der USA in verschiedenen europäischen Ländern, u.a. in Polen und Rumänien
- Ermordung des saudischen Journalisten Jamal Kashoggi mit Wissen – nach CIA-Berichten sogar im Auftrag – des saudischen Kronprinzen Mohammed Bin Salman 2018
- Ermordung des auf diplomatischer Mission (offizielle Einladung des Irak) befindlichen Kommandeurs der iranischen Revolutionsgarden, Qasem Soleiman, durch eine US-Killerdrohne in Bagdad im Januar 2020.

(Diese Liste erhebt keinen Anspruch auf Vollzähligkeit, zudem werden nie alle Operationen der USA und vor allem der CIA bekannt werden, besonders nicht in Südamerika und Afrika.)

#### **Die wesentlichsten bekannt gewordenen Völkerrechtsbrüche Russlands in der jüngeren Vergangenheit**

- 1. Tschetschenien-Krieg 1994-1996
- 2. Tschetschenien-Krieg 1999-2009
- Georgien/Kaukasus-Krieg 2008 (Anmerkung der Redaktion: Völkerrechtliche Verantwortung allerdings nicht eindeutig geklärt, EU-Untersuchungskommission kam 2009 zu dem Schluss, dass Angriff [von Georgien ausging](#))
- Annexion der Krim 2014 (Anmerkung der Redaktion: Wobei es auch anerkannte Völkerrechtler gibt, die den Annexionscharakter [bestreiten und dies mit Argumenten belegen](#))
- Ukraine-Konflikt seit 2014

**LOGODAEDALUS**

d.30. m.Nov. a.2022 h.16.27

**Logodaedalus Leōnī Latīnō s.p.d.**

Sī valēs bene est ego quoque valeō.

Symbolā dē latīnitāte vīva, quae in epistula CCLXVI inest, magnopere fructus sum. Ipse quondam Marte meō de hāc rē disputāre ēnīsus sum, sed, ut patet, quās symbolās scrīpsī, eae cōpiā carent ut mē pudeat meās cum tuīs comparāre, quae autem scatent et verbīs et rēbus. Meā quidem sentiā orātiō illa vehementissima Aloisiī Miragliae [dē causīs corruptae institutiōnis latīnae](#) annō MMXIII habita adhuc viget.

*Multi dicunt: "Ah, utinam lingua Latina redeat in usum hominum cotidianum!" Ego dico: Deus avertat et averruncet hanc calamitatem. Quia si forte fiat, sicut facta est de lingua Hebraica, iam amitteret suum emolumentum lingua Latina. Nunc lingua Hebraica, quae nunc est, quae initio fuit lingua Hebraica veteris testamenti, nunc iam discedit et avertitur tam longe, tam procul a lingua veteris testamenti ut iuvenes non possint legere sacram scripturam, aut legant cum quadam difficultate. Et idem fiat, id est si lingua Latina in usum hominum cotidianum restitueretur, statim fieret una ex linguis neo-Latinis, subiecta illis mutationibus continuatis et Heracliteis, dicamus, quae non efficiunt aut impediunt, prohibent quominus haec lingua sit vera lingua ad tradendum cultum et humanitatem per saecula.*

**Cūrā ut valeās. Scrīpsī Mediōlānī prīdiē Kalendās Decembrēs.****P.S. Ecce breve epigramma in Mediōlānum:**

Nōn Mediōlānum valeō praeferre Panormō,  
Hīc semper frīget nec mihi brūma placet.

d.03. m.Dec. a.2022 h. 00.23

**Leo Latinus Logodaedalo suo sal.pl.**

Magnas gratias pro verbis benevolis necnon testimoniis Latinitatis vivae et Aloisii et tui ipsius. Placet mihi epigramma tuum. Perge poetari. Latinitas eget arte tuâ! Haec brevissimê, sed mox, si volueris, certê plura. Vale pancraticê. Medullitus te salutatur Leo Latinus.

**ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.29. m.Nov. a.2022 h.23:10

**Nicolaus Leo Latinus Ansgario suo Osloensi sodali carissimo S.P.D. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Ansgari, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eâdem symbolâ refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latinê reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. *Ben Jehuda* fuit vir verê singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industriâ atque perseverantiâ id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. De his rebus aliisque



quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.04. m.Dec. a.2022 h.09:56

### **Salutem Nicolao Ansgarius**

Quod epistulam leoninam doctrina et mira latinitate scaturientem denuo accepi, taurice gaudeo. Spero magnum opus tuum, scilicet Orbem pictum hexaglottum, mox in lucem factum iri, quo acutius de rebus hodiernis, etsi non parvi momenti, latine sermocinari et scriptitare omnes cultores linguae latinae possimus. Et recte quidem argumnetaris, linguam latinam adhibendam esse ut linguam officialem atque obligatoriam Unionis Europaeae. Non erras, multis argumentis firmis allatis, nec philogice, nec historice, nec humane, nec, ut ita dicam, moraliter. Raro autem fit, ut rei publicae sola ratione gubernentur. Namque, ut administri et grapheocrates Europaei iterum lingua latina in rebus moderandis utantur, verum si quaerimus, eversione rei publicae opus est. Resuscitatio linguae hebraica ad effectum ducta est, ut res publica hebraica moderna institueretur. Numquam, citra propositum politicum, linguam biblicam Hebraici ad vitam restituere potuissent. Haud scio an Europaei nullum propositum aut consilium vere Europaeum habeant. Fac sis hilari animo!

d.04. m.Dec. a.2022 h.11:17

### **Nicolaus Ansgario s.**

Plurimas gratias tibi ago, Ansgari carissime, quod de Latinitate resuscitandâ quid sentias me facis certiolem. Caput rei mihi videris attingere eo quod verbis effers, quantum in tantâ re assequendâ valeat propositum politicum commune. Reverâ oportet quaeramus, quatenus conscientiâ historiae cultûsque civilis humanique communis fieri possit, ut gentes Europaeae resuscitent usum linguae Latinae communem et officialem. Num sat multi Europaei adhuc sunt conscii radicum Europae historicarum? - Cum videam, quantâ mentis imbecillitate quantoque eruditionis defectu laborent plerique *iuvenes duces globales (young global leaders)*, non multum abest, quin de Latinitatis resuscitatione paneuropaeâ planê desperem; sed dum spiro spero. Quid tibi videtur? Vale semper, humanissime, et perge flammulam spei alere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.04. m.Dec. a.2022 h.12:04

### **Ansgarius Nicolao s.**

Salvus sis Nicolae! Nisi singularitatem cultus civilis Europaei homines occidentales iterum didicerint aestimare, quo pacto et latinitas, et historia ut disciplina scientifica, et ius sacra libere colendi, et rerum naturalium scientia, et multa alia, conservari, tueri, augeri possint his in terris, plane nescio. Individualitas, rationalitas, curiositas principia generativa sunt cultus atque humanitatis nationum occidentalium. Quamquam non semper omnia in peiorem partem accipienda, in singulos dies, magis magisque homunculi Europaei ad tyrannidem fovendam atque amandam inclinare

videntur. Certe ut dixisti, dum anima spirabimus nostra, nil desperandum. **Basilice te salutat Ansgarius**

## **RADULFUS ARGENTINUS BONAEROPOLITANUS**

d.1 m.Dec. a.2022 h.22:18

**Leo Radulfo suo poetae Bonaeropolitano sal.pl.dic.**

Gratias plurimas, care Radulfe, pro versionibus tuis carminum Raphaelis. Placent mihi nomina Gauchonis et Pampae in Latinum introducta! Interimne iam Epistulam Leoninam 266 inspexisti? Vale semper pancratice, mi care sodalis! Medullitus te salutat **Leo Latinus**

d.2. m.Dec. a.2022 h.17:27

**Care doctissimeque Leo Latine**

Semper scriptis tuis ocasionem meditandi mihi affers. "Tuis" dixi... non solum tuis sed etiam aliorum sapientium monitionibus. Lectio (ad me solummodo) quam de Lucii ranaeque fabula obtineo: fortasse (melius, pro certo) non validus neque dives sum; hoc non obstante, luctationem contra maleficas vires hodiernas non reliqui. Plena doctrinae acroasis est, quam a Chilia ad nos mittis. Unam autem considerationem ago: status prope minimus esse debet, defensionem atque iustitiae devotus. Hoc puto, saltem ideali modo, ut ita dicam. Omnium latronum qui in hoc saeculo sunt fueruntque... status ter maximus est. Est status latro latronum. Ignosce meo odio erga politicam (non erga *omnes* políticos). Ignosce etiam, amice, infimae latinitati meae. Tuus Radulfus p.s. Adiungo tibi documentum: nuntium de Nativitate Domini. Non ut legas mitto (scio enim nos omnes plurimis rebus obrui) sed ut scias me tibi felicissimam Nativitatem Domini desiderare.

d.7 m.Dec. a.2022 h.19:56

**Nicolaus Radulfo Gauchoni carissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur, poeta Latinissime? Novistine cinema et canticum infra allata? Mihi valde placent! Quid tibi videtur? Vale semper pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus** <https://www.youtube.com/watch?v=u-qzROWMBa8> Ennio Morricone - Run Man Run (Titoli di testa) - La Resa Dei Conti (1966)

d.9 m.Dec. a.2022 h.00:54

**Radulfus Leoni Latino s.**

Carissime amice, semper me doces linguam Latinam. Verbum hippodrama ignorabam. Gratias enim ob cantionem quam ad me misisti. Taeniolam certe videbo. Gratias denuo, **Radulfus**

d.19 m.Dec. a.2022 h.20:57

**LEO LATINUS RADULFO LAVALLE BONAEROPOLITANO SUO  
SAL.PL.DIC. S.V.B.E.EV.**

De victoriâ patriae tuae in Catariensi certamine pedifolii mundano gloriose partâ tibi intimo ex corde gratulor. Utinam Argentina vivat crescat floreat! In Natale Domini, o Radulfe mi amice poeta gaucho humanissime, tibi optima quaeque exopto: Utinam una cum tuis celebres festum natalicium quam iucundissime et salutarissime! Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.20. m.Dec. a.2022 h.02:39

**Radulfus Leoni Latino s.**

Care Leo Latine, Patria mea, mihi cara, a latronibus gubernatur, qui volunt etiamnunc proventum a certamine oecumenico obtinere. Populus, mihi videtur, non morem eis gessit. Meum praecipuum certamen non pedifollicum est sed politicum: volo eosdem latrones a gubernatione eiici, quod Deo iuvante sub fine AD 2023 utinam accidat. Gratias ergo ob tuam caram salutationem. Utinam paululum meliores fiamus. De Nativitate Domini, ad te mitto nuntium meum "Santa Navidad", paululum vivi sermonis Latini continentem. Non a te peto ut eum legas (nullo modo actuositatem tuam amplificare volo) sed mitto solummodo ut eum cursim videas. Ibi cantiunculam de Hispanis populis FAMOSA invenies; eam latine reddidit Óscar Ramos Rivera, Hispanus latinista. Gratias plurimas tibi, care amice. Tuus Radulfus  
p.s. Filia mea maior natu, medica, pericula de lingua Germana bene fecit quaeritque laborem in patria tua. Nisi fallor, eum obtinebit, quia studiis medicis (speciatim haematologiae) operam impense dat.

d.20 m.Dec. a.2022 h.7:44

**Leo Latinus Radulfo suo poetae Latinissimo s.**

Gratias tibi ago pro responso prompto. De ambiguitate certaminum athleticorum saepe disputatur. Alii dicunt iisdem animum populi aliquatenus sopitum averti a potentium vitiis atque delictis, alii dicunt foveri consensum civium et nationum. Speremus in fine commoda rerum athleticarum maioris momenti fore quam incommoda.

Quod loqueris de pravis moribus gubernationis vestrae - quid dicam - eheu - de moribus nostrae? Germania nunc habet gubernationem inde ex tempore alterius belli mundani omnium stultissimam et ineptissimam. Ideologia prasina consulto destruit industriam nostram quaestuosam. Propter odium ideologicum energiae et fossilis et atomicae necnon propter absurdas sanctiones antirussicas inefficacissimas tanta est exorta penuria gasi et electricitatis, ut timeamus frigora hiemalia et "pandyselectriam" (blackout), i.e. fatalem defectum electricitatis subitum et diuturnum. Tota in Europa est quaedam difficultas energetica, sed - vae nobis! - pudet confiteri nullam gubernationem europaeam oeconomiam energiae tam stupide dispensare quam nostram.

Gratulor filiae tuae, quod examen linguae theodiscae feliciter superavit eique exopto, ut inveniat munus medicum sat dignum suscipiendum. Haematologia certe est disciplina medicinae fere ubique terrarum in dies gravior propter detrimenta pseudo-

vaccinationis anticovidiana scaturientia. Sed condicionem oeconomiae politicaeque germanicae pessimam considerans timeo, ne hoc tempore parum iuvet Germaniam adire muneris petendi causa. In omnibus terris Europae status oeconomiae nunc parum bonus est; sed commendatione dignior quam Germania mihi videtur esse Helvetia, ubi sermo theodiscus etiam colitur et ratio politica et oeconomica adhuc aliquatenus saniores sunt quam in patria mea. Quid filiae tuae videtur?

Utinam adversus istius temporis tempestates adversissimas adiuvent nos, mi care Radulfe, Stoica ATARAXIA et virtutes Paulinae quae sunt FIDES et CARITAS et SPES. Utinam filia tua munus inveniatur aptissimum! Utinam Tu cum Tuis degas dies Natalis Domini quam felicissime! Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**.

d.21 m.Dec. a.2022 h.16:46

**Radulfus Leoni s.**

Care Leo, credo te vera dicere sed, mihi crede, politici latinoamericani prope omnium pessimi sunt. Filia mea nunc viam, ut ita dicam, ambulat "in faucibus Etruriae". Quae fata eam maneant... Deus exarabit. Tibi tuisque omnibus amatis bonam Dni. Nativitatem desidero. **Tuus, Radulfus.**

## **MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS**

d.29. d.Nov. a.2022 h.23:16

**Nicolaus Groß Leo Latinus Marco Cristini suo Brixiano Philologotato S.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Marce, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eadem symbolâ refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latinê reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. Ben Jehuda fuit vir verê singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industriâ atque perseverantiâ id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. De his rebus aliisque quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**.

**Marcus Cristini Leoni Latinissimo verborumque amantissimo, immo philologissimo s.p.d.**

Quanta laetitia me affecisti, care sodalis, cum *Epistulam Leoninam 266* mihi misisses, vix verbis dici potest. Nam ob diuturnum silentium timebam, ne difficultates quaedam obstitissent quin novum fasciculum scriberes, et valde dolebam, quod scrinium tuum vocum vivarum vivae Latinitatis clausum longe maneret. - Epistulam Leoninam libenter legi, more solito miratus facundiam tuam

doctrinamque re vera humanisticam, quae a lucio usque ad res politicas hodiernas machinaque novissima elegenter diligenter curiose vagatur lumen persequens perennis Latinitatis. De acroasi Neo-Ulmiensi et bis Leonina quid dicam, nisi me tecum prorsus consentire? Utinam Latinus sermo inter linguas Unionis Europaeae adnumeraretur! Imperium enim linguae Anglicae magis magisque simile fit imperio Romano opinione Calgaci: ubi (Anglophoni) solitudinem (sermonum) faciunt, pacem appellant. Nuper forte incidi in optimam symbolam ante saeculum scriptam [W.A. Oldfather, *Latin as an International Language*, in: *The Classical Journal*, 16 (1921), pp. 195-206], quae dilucide ostendit quibus de causis sermo nationalis minime pro sermone universali adhibendus fuisset: "no existing national language can possibly be chosen. International jealousies are far too powerful to allow any single nation or group of nations to gain for itself the cultural prestige and the tremendous economic advantage which the selection of some language already in use would secure to those who speak it as their mother-tongue" (Arctoamericanus haec scripsit!). Proh dolor, quod ante saeculum timor tantum erat et vaticinium dubium, nunc omnibus patet, qui e.g. conventui academico intersunt audiuntque Anglos facillime acroasim habentes aliosque oratores uno eodemque tempore et contra rem et contra linguam acriter dimicantes, dum collegae Oxonienses vel Cantabrigenses ob menda rident, vel qui symbolam magno labore Anglice scriptam periodico academico internationali mittunt et paulo post certiores fiunt de repulsa non ob rem, sed ob stilum "parum politum". Botanici longe Latinam linguam defenderunt, sed ab anno 2012 novas species Anglica quoque diagnosi describere licet (cfr. art. 39.2 Codicis Internationalis Nomenclaturae Botanicae, [https://www.iapt-taxon.org/nomen/pages/main/art\\_39.html](https://www.iapt-taxon.org/nomen/pages/main/art_39.html)). Ii, qui tunc rebus his novis faverunt, nunc suadent ut nomina botanica mentionibus virorum purgentur, qui eis displiceant, immemores Linnaei, qui in *Fundamentis Botanicis* a. 1736 (p. 25, § 238) haec scripsit: "Nomina generica ad botanici bene meriti memoriam conservandam constructa sancte servo". At non omnino desperandum est, ut docet vir doctus Ben Jehuda, quia habent sua fata et libelli et sermones. Mihi persuasum est Latinitatem ad occasum minime vergere, sed mutari immotam, ita ut commercia inter gentes hodie et crastina aetate fovete possit nixa tam litteris per saecula viginti et tria scriptis quam rebus recentioribus.

Cura, ut optime valeas.

### **Leo Latinus Marco eloquentissimo s.**

Animo elato litteras tuas splendide atque perhumaniter scriptas perlustravi. Magni aestimo nuntium tui botanicum quamvis indignatione dignissimum: Botanicis iam ex a.2012 licere novas species Anglicâ quoque diagnosi describere. Sed quid indignor de botanicis Latinitatem recusantibus, cum ipsorum philologorum plerique omnem usum vivum linguae sibi mandatae renegent? Tamen restat quaedam spes; interdum ii sunt cultores Latinitatis vivae ardentissimi, qui professione suâ ab eâdem sunt

remotissimi. Ceterum pro certo habeo propter condicionem scholarum publicarum in dies depravatiorem magis magisque augeri institutionem privatam scholas academiasque privatas. Utinam ibidem Latinitas denuo vivat crescat floreat! Quid tibi videtur? **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

## **URBANUS FERRARIUS BRASILIANUS BRASILIOPOLITANUS**

d.1 m.Dec. a.2022, h.12:58

**Nicolaus Urbano suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur in Brasiliâ tuâ? Rumores ferunt ibidem fieri magnas manifestationes Bolsonaronianorum, Lulam aeroplano volare per regiones alienas. Possuntne corrigi suffragia falsata? An munus praesidis suscipietur a sene illo, qui dubiâ ratione e carcere dimissus est? Tu autem vale pancraticê: Perfer et obdura! Utinam sit tibi tuisque aliqua occasio vitam aliquatenus securam atque tranquillam degendi. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m.Dec. a.2022, h.22:41

**Urbanus Leo Latino salutem.**

S.B.V.B.E.E.V.

Epistula Leonina 266 ad me pervenit. His tamen octo superioribus diebus, satis temporis, ut eam totam perlegerem, non habui. Mihi admodum placuit acroasis, quam fecisti ad Leones. Etiam placuerunt meditationes a Paulo Kangiser propositæ. Modo descendam ad quæstionum responsa.

1. Quid fit quid agitur in Brasilia tua? Vere ubique, præsertim ad castra militaria, civium fiunt manifestationes, inter quos sunt non pauci indigenæ, qui, terris suis relictis, Brasiliopolim petierunt. Hi, vota sua non esse a sitellis computata dicentes (quod est ceterorum omnium suspicio), iam senatum, aeroportum et alia loca adierunt; et in præsentia manent in urbe. Lula, ut sciam, bis peregre volavit aeroplanis commodatis. Quod corruptionis non modo habet suspicionem, verum etiam legibus ipsis plane vetatur.

2. Possuntne corrigi suffragia falsata? Ineunte hoc anno 2022, exercitui nostro, ab ipso Tribunali qui præest suffragiis, commissum est, ut totum comitiorum ritum inspiceret. Ipsum tamen Tribunal, quod exercitum invitaverat, modo recusat ne tradat exercitui codicem originarium (source code) sitellarum. Item secundum leges, Tribunal non potest inspectoribus negare quidquam, quod inspectioni sit necessarium, sub pœna abrogationis suffragiorum. Sed iam pridem Tribunal non observat leges. Non ergo sine causa frequentiores in dies sunt ii, qui exigunt omnium illorum iudiciorum depositionem.

3. An munus præsidis suscipietur a sene illo, qui dubia ratione e carcere dimissus est? Spero, ut hoc minime fiat. Non tamen sum tam simplex tamque ingenuus, ut non agnoscam magnam globalistarum potestatem. Si hi, omnibus manifestis criminibus posthabitis omnibusque condemnationis sententiis despectis, virum illum corruptum a



carcere eduxerunt, quid non facient ut rem sibi propositam consequantur? Verum, dum populus manebit coram castris et in viis, rerum status mutari poterit. Sic spero. Hæc mihi venerunt in mentem, ut tibi scriberem. Vale semper, amice. Dedi Brasiliopoli, Solis die, Pridie Nonas Decembres, anno Domini MMXXII. **Urbanus.**

**Leo Urbano suo sal.pl.**

Quod res Brasiliæ hâc tempore sunt tam turbulente, tibi valdê condoleo, praesertim cum etiam condicio meae patriae sat flebilis sit. Si statum huius mundi accuratius consideramus, concludendum est nos omnes subigi eâdem potestate supranationali; politicos autem nationales nihil esse nisi globalistarum neurospasta et gerulifigulos. Sperandum est mendacia globalistarum quam celerrimê a quam plurimis hominibus intellectum iri, ut massatim recusent programmata globalistarum transhumanistica: furorem rectitudinis politicae (i.e. censurae loquendi et scribendi), furorem migrationis immoderatae et multiculturalismi, furorem pseudovaccinationis geneticae, furorem minoritates deificandi, furorem phyles albae extirpandae, furorem homines nigri coloris deificandi, furorem genderismi et non-binaritatis (64 sexuum), furorem linguam pervertendi, furorem infantes lubricine corrumpendi, furorem climaticum, etc. etc. Haec hactenus de transhumanismi furoribus, quos adhuc spero posse evitari. Dum spiro spero. Sed tibi, mi care amice, nave patriae procellis huc illuc vacillante, utinam restet tibi locus securus, ubi cum tuis verseris tranquillê atque pacificê. Bene vixit qui bene latuit, ut ait philosophus horti. Pancraticê vale. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

**ALBINUS DUTOYA FRANCOGALLUS CATALONIENSIS**

d.29. m.Nov. a.2022 h. 21:17

**Nicolaus Albino suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Nunc tandem tibi mitto Epistulam Leoninam 266. Utinam tibi placeat! Imponas, care Daedale Latinitatis Vivae, hanc quoque Leoninam Ephemeridi solita cum diligentia, et, si vacabis, scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Nicolaus Leo Latinus.

d.30. m.Nov. a.2022 h.16:46

**Albinus Nicolao s.**

Epistulam CCLXVI inserui. Tempus fugit!!! His ultimis hedomadis novam sedem Ephemeridis confeci: <https://ephemerisnuntii.eu> Praeter Epistulas Leoninas, si aliquando quoddam symbolum edere cupis, mitte! EL 266 legi, et praecipue orationem tuam de Latinitate Viva quae multum mihi placuit. Consilia hujus generis defendere solebam meo humillimo Marte in initio hujus millenarii:<http://latinitas.latinitatis.com/> Post Francogallos, Anglosaxonico imperia- lismo, qui nunc "linguistice" regnat in toto orbe terrarum (et in EU!), est nullum desiderium Linguam Latinam resuscitandi...Etiam Hanc "banner" confeceram: <https://ephemerisnuntii.eu/img/honor.gif> **Vale.**

d.05. m.Dec. a.2022 h. 01.35

**Nicolaus Albino suo sal.pl.**

Gratias tibi ago plurimas pro rebus interretialibus daedalê perfectis. Libenter tibi mittam textûs quam plurimos. Quod scribis de imperialismo Anglosaxonum etiam linguistico - proh dolor - verum est. Sed nos Latinophili tam fortiter pugnamus quam incolae illius vici Gallorum singularis, qui fuerunt Maiestix et Obelix et Miraculix necnon ASTERIX .... Vale semper pancraticê, mi care Daedale retialis! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

**GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.29 m.Nov. a.2022 h.23:00

**Nicolaus Groß Leo Latinus**

**Gaio Licoppe Nestori Academiae Latinitatis Fovendae maxime honorabili**

salutem plurimam dicit. S.V.B.E.E.V.

Iamne accepisti, care Gai, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest proluxa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50); p.34-38 invenies Imagines Resuscitatorum Linguae Latinae Optime Meritorum. Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eadem symbola refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. De his rebus aliisque quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.05. m.Dec. a.2022 h.14:16

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Post intercapedinem trium mensium iterum a te aliquid accepi, hanc scilicet epistulam et adiunctum Leonem Latinum 266. Miratus eram, quod epistulae die 4 m. Septembris missae non respondisses neque novum Leonem Latinum misisses; cum in eo responso satis vehementer, sed merito, in Vladimirus Putin increparem, putaveram te commercii nostri finem facere velle. Itaque novum copiosumque Leonis Latini fasciculum virtualem necopinanter accepi, cui inest eadem epistula. Libenter legi egregiam acroasin, quam coram 'Leonibus' Neo-Ulmensibus de Latinitate viva fecisti. **Cura ut valeas.**

d.05. m.Dec. a.2022 h.17.31

**Nicolaus Gaio suo sodali optimo sal.pl.dic.**

O Gai optime, quid suspicatus es? Mene tibi irasci, quod Putinum increpuisses? Nequaquam! Nullo modo tibi iratus sum; bene scio te esse optimum amicum mei et comitem et consiliarium. Et quid de Putino? Nullo modo sum assecla eius; neque cum Russis neque cum Ucrainis mihi ulla affinitas aut ulla ratio est privata et

personalis. Numquam putavi Putinum esse animam candidam - quis hoc crederet? Qui fuit officarius officii secreti idque sub regimine sovietico! Sed clare video diurnarios nostros, a quibus cottidie circumvolvimur ingenti nebula propagandae, eum daemonizare et Selenskium in caelum tollere - et istorum relationes potius esse fabellas ficticias quam analyses rerum politicarum sinceras et ieiunas. - At nullo modo irascor tibi mihi contradicenti. E contrario - si disputamus de rebus politicis per epistulas, semper gaudeo de contradictione tua, quia effectu eiusdem disputatio vivificatur. Anima et animus hominum sunt multipliciores, quam ut duo homines semper inter se consentiant. Semper assentire non est amici, sed blanditoris. Iuvat Latine dissentire! Hoc ipso tempore, ubi libertas sententiae libere dicendae ipsis in terris occidentalibus - proh dolor! - in dies deminuitur, eximie iuvat et delectat in latebris Latinitatis vivae cum amicis confabulari et aperte id eloqui, quod publico sermone officiali non iam licet patefacere. Utinam sit nobis commercium epistularum Latinum refugium humanismi et cogitationis liberae! - Ignosce, mi care amice, quod tam diu non respondi adnotationibus tuis lexicographicis; omnia proposita tua fideliter servo; quae mihi placent, gratissimus in lemmata recipio; ea quae mihi minus placent, in alterius tomi (GLOSSAE) indicabo nomen tuum afferens. Interdum etiam indico synonyma: e.g. non solum "autocinetum" indico sed etiam "autoraeda", non solum "computatrum" sed etiam "ordinatrum", non solum "autoraeda longa" sed etiam "laophorum". Scilicet nos neque ullum hominem Latine locuturum aut scripturum cogere posse neque velle, ut sequatur proposita nostra; sed speramus nos testimoniis rationibusque verba novandi indicandis adiumenta praebere posse Latinophilis haud ingrata. In interreti inveni "Lexicon Licoppianum"; quod citabo locis aptis. Ceterum Glossario etiam inscripsi nomen teleplani a te scite conficti, quamquam teleplana in lexico originali ("Visual dictionary", ed. a.2011) non insunt; interim enim haec instrumenta mirabilia plus valent quam ut liceat nomen omittere. Mox tibi exempla mittam glossarum; spero anno proximo ineunte fieri posse, ut mittam tibi manuscriptum totum Glossarii. Lexicon originale, i.e. "Visual Dictionary", cui amplitudine aequalis erit primus tomus Orbis Picti Hexaglotti (PICTURAE) habet 1071 paginas; aestimo alterum (GLOSSAE) vix pauciores habiturum esse. Sed hic illic certe abbreviandum erit; etiam de magnitudine typorum erit deliberandum. - Cum Christiano praeside convenit me mense Aprili facturum esse acroasin zoomianam de orbibus pictis generaliter deque Orbe Picto meo Hexaglotto specialiter; bene spero usque ad hunc diem utrumque tomum tandem fore completum. - Naviter nunc studebo saepius tibi scribere, ne iterum credas me propter rixam politicam abruptisse colloquia nostra humanissima et Latinissima! Istud ne fiat faxit Deus omnipotens. Pancratice vale, mi Gai carissime et perge mihi favere. Necnon iubeo valere pancratice Franciscam tuam. Medullitus vos salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.07. m.Dec. a.2022 h.16:09

### **Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Insinuatium dubium optime dissipasti; de hac re ergo iam non agetur. - Legi longam symbolam Pauli Kangiser. Omnium opinionem religiosam respicio, quam etiam in Melissa, data occasione, libere divulgare licet. Aliorum autem respectus non impedit quin ipse sententiam meam patefaciam. Occupatissimus his diebus sum, sed tamen aliquid temporis inveniam, ut quid de argumentis a Paulo Kangiser tractatis censeam, ad te mittam. Cura ut valeas.

d.07. m.Dec. a.2022 h.16:29

### **Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.**

Summas gratias in antecessum. Semper gaudeo de commercio epistularum deque opinionum permutatione vivacissima et Latinissima. Haec breviter, mox certe plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

## **PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

d.1 m.Dec. a.2022 h.08:38

### **Nicolaus Paulo suo sal.pl.**

s.v.b.e.e.v.

Orbis Picti Hexaglotti tomum Glossarum completurus, care Paule, incidi in nomen vestimenti Mexici atque Austroamericae notissimi, quod dicitur "Poncho". In Wikipedia Hispanica (v. infra) inveni doctos dubitare, utrum nomen eiusdem sit verbum indigenarum Americae australis (aut linguae Quechuae aut Araucanianae) an iam in usu fuerit Hispanorum antequam Araucanos cognoverint. - Volui quidem in Lexico meo hoc vestimentum paenulae Romanorum aliquatenus simile et ubique terrarum bene notum (praesertim cum Clint Eastwood idem gesserit in cinemate "The good the bad and the ugly"!)) appellare "**paenulam Araucanianam**". Sed adnotatione in Wikipedia Hispanica perlecta dubito de hoc nomine. - Quid tibi videtur? Num melius dicam "**paenulam austroamericanam**"? Memini te scripsisse De Bello Arauciano. Itaque puto te specialiter peritum esse rerum Araucaniarum. - Vale semper pancratice, sodalis amabilis studiorum Latinorum! Haec breviter, mox si volueris, plura tibi scribam.

<https://es.wikipedia.org/wiki/Poncho>

"El origen etimológico de la palabra «poncho» es discutido. Para algunos estudiosos, como [Diego Abad de Santillán](#) en su Diccionario de argentinismos (1976), "«poncho»" es una [castellanización](#) de la voz [quechua](#) punchu, con el mismo significado; y según [Lafone Quevedo](#) podría relacionarse con punchaw, «el día», por la asociación simbólica entre sacar la cabeza por el tajo del poncho y la salida del sol.<sup>1</sup>

Sin embargo, para otros, como María Millán de Palavecino, el nombre de esta prenda tendría su origen en el [mapudungun](#),<sup>23</sup> si bien pontro significa «[frazada](#)» y poncho se dice makuñ.<sup>4</sup> En un estudio sobre la historia del poncho en Argentina, se dice que la primera mención escrita del término en el territorio data de 1714 y que en un documento de 1737 se alterna el uso de «poncho» y «frezada» para una misma prenda.<sup>5</sup>

*Por otro lado, [Marcos A. Morínigo](#)<sup>6</sup> y luego el filólogo español [Joan Corominas](#) en su [Diccionario crítico etimológico castellano e hispánico](#), [niegan su origen indígena basándose en una aparición de «poncho» con el sentido de «frazadilla» en la crónica de Alonso de Santa Cruz de 1530](#),<sup>5 años antes de la conquista del Imperio inca o del primer contacto entre mapuches y españoles.</sup>*"

5.\* Garavaglia, Juan Carlos. *Capítulo VIII. El poncho: una historia multiétnica*. pp. 185-200 en Boccara, Guillaume. 2002. *Colonización, resistencia y mestizaje en las Américas (siglos XVI-XX)*. Abya Yala. 385 p. ISBN 9978-22-206-5 --- Morínigo, Marcos A. «*Notas para la etimología de poncho*». pp. 33-35. Archivado desde [el original](#) el 10 de abril de 2013. Consultado el 8 de noviembre de 2010.

d.07. m.Dec. a.2022 h.04:01

**Paulus Nicolao S.D.**

Inspexi, Nicolae, et Corominas, quem tu etiam legisti, et Paoli et, Rodríguez Chiliensem et Dictionarium Mapuche ab Alberto Moreno in Argentina editum; si vis, tibi mittam horum textuum photographemata. - Mea sententia, poncho est vox usitata non solum in Chilia sed etiam in Argentina et Peruvia et fortasse in aliis locis Meridioamericanis. Agitur de panno quadrato cui est foramen in medio, qua caput transit. Antiquitus usurpabatur ab indigenis et pauperibus, at nunc multi hieme hac paenula utuntur. - De origine eius disceptatur, ut ipse vidisti; sed apud Z. Rodríguez esset vestis Peruviana, quae dein in Chiliam pervenit. Ut mihi videtur poncho vertendum est ut paenula, uno verbo. - Ceterum est adiectivus Araucanus, a, um. - Epistula L. 256 in Ephemeride non edita est. Cur? - Cura ut valeas.

d.07. m.Dec. a.2022 h. 10.39

**Nicolaus Paulo suo sal.pl.**

Gratias plurimas tibi ago, care Paule, quod lexica inspexisti ad verbum *poncho* investigandum. EPHEMERIS habet novum situm interretialem:

<https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php> Albinus Dutoya, Daedalus rerum interretialium, me de sede mutatâ certiore fecit. Tractatus tuus theologicus iam laudatus est a nonnullis lectoribus; ergo perge scribere, Latinitatis Resuscitator navissime! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.07. m.Dec. a.2022 h. 10.54

P.S. Photographemata a te missa libenter accipiam et quae apta visa erunt, publicabo proxima in EL. Gratias in antecessum, vale semper, **NLL**

**GUGLIELMUS MONETTI**

d.29. m.Nov. a.2022 h. 23:23

**Nicolaus Groß Leo Latinus Guglielmo Monetti suo Philologotato sal.plur. dic. S.V.B.E.E.V.**

Iamne accepisti, care Guglielme, Epistulam Leoninam 266? Quam modo tibi misi. Ibidem inest prolixa symbola quae spectat ad Latinitatem vivam (p.24-50). Spero te huius symbolae argumentis delectatum iri. In eâdem symbolâ refero etiam de Orbe Picto Hexaglotto, qui velim complectatur duos tomos, unum picturarum, alterum glossarum. Ceterum Latinê reddidi symbolam, quae spectat ad linguae Hebraicae resuscitationem. Ben Jehuda fuit vir verê singularis, qui linguam Hebraicam resuscitaturus primo irrisus est, sed industriâ atque perseverantiâ id assecutus est, ut linguam biblicam iam pridem mortuam ad vitam revocaret. - De his rebus aliisque

quaecumque tibi in buccam venerint, sodalis carissime, velim scribas mihi. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.14. m.Dec. a.2022 h.01:16

**Guglielmus Nicolao s.**

Quanto gaudio sum affectus cum tuas litteras diu expectatas mihi allatas vidi! Sophos, euge, macte, eia! Rugit rursus Leo! Scito tamen me per hoc temporis vix otiolum habere, ut duas pagellas ex fabula aliqua criminali antequam somnum capiam, legam (pudet dictu! Adeo aliis rebus per officium legendis teneor). Sed per ferias Natalicias horas sedulo venabor, tuas queis litteras legam. Expecta igitur donec fusius rescribam. Atqui praesertim cupio legere ea, quae de Latinitatis Vivae motu scripsisti, nam his impense studeo, et delector. Interea labores tuos qua lexicographicos qua Latinos ne intermiseris. Tibi gratias atque gratias habeo, qui de tuo inexhausto penu nos tali tantaque fruge beare pergas. **Vale, Gulielmus**

d.14. m.Dec. a.2022 h.11:06

**Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.**

Elato animo lego, care Guglielme, te bene valere rebusque per officium legendis teneri necnon litteras meas lecturire. Utinam naviter progrediaris. Pro certo habeo studia tua philologiae neolatinae feliciter profutura esse. - Ceterum nuper invêni in interreti florilegium litteraturae neolatinae prosaicae saec. XIX. ad usum discipulorum scriptum et miror, quam multiplex sit. Quod horulis tuis subsicivis inspectum - si qua intervenerit occasiuncula - scribas mihi, quatenus tibi placeat displiceatve. - Vale semper pancraticê, mi Latinophile carissime. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.** -

**Ferdinand Philippi: Die Latinität der Neuern etc. Leipzig 1825**

[https://books.google.de/books?id=3047pe-FCqEC&pg=PP1&lpg=PP1&dq=Ferdinand+Philippi:+Die+Latinit%C3%A4t+der+Neuern++Leipzig+1825&source=bl&ots=vTxEKPdVmK&sig=AcfU3U3r035WtzWerB4dbwrCly7hp7JcJg&hl=de&sa=X&ved=2ahUKEwjjpIf97Pj7AhUKhPOHHV58B\\_s4UBDoAXoECBwQAw#v=onepage&q=Ferdinand%20Philippi%3A%20Die%20Latinit%C3%A4t%20der%20Neuern%20%20Leipzig%201825&f=false](https://books.google.de/books?id=3047pe-FCqEC&pg=PP1&lpg=PP1&dq=Ferdinand+Philippi:+Die+Latinit%C3%A4t+der+Neuern++Leipzig+1825&source=bl&ots=vTxEKPdVmK&sig=AcfU3U3r035WtzWerB4dbwrCly7hp7JcJg&hl=de&sa=X&ved=2ahUKEwjjpIf97Pj7AhUKhPOHHV58B_s4UBDoAXoECBwQAw#v=onepage&q=Ferdinand%20Philippi%3A%20Die%20Latinit%C3%A4t%20der%20Neuern%20%20Leipzig%201825&f=false)

**NAEVIUS SARTORIUS**

d.11. m.Dec.a.2022 h.12:13

**Naevis Nicolao s.**

Care Nicolae, heri fui in Thuringia, visitavi amicum. Valde placet mihi illa regio, montes placidi et pulchri sunt; arbores nunc tectae sunt nive – omnis silva argentea esse videbatur. Silva Thuringiensis semper locus est summae dulcedinis. Gratias tibi ago pro nuntiis tuis electronicis iucundis.

Quod attinet ad finem mundi unipolaris - dubito an finis ipse nunc appropinquet. Adhuc videre possumus USA esse fortes, semper conari suppressere aemulos et hostes geopoliticos. Me dolet videre Germaniam nostram agere partem ingloriam in hac fabula; paene semper sequitur USA in rebus geopoliticis. Etiam mihi videtur politicos nostros *optimos* narrationibus USA credere vel rationem veram earum non



perspicere. Sed non ignoramus USA post bellum mundanum secundum USA apparatus instituisse velut „Aspen-Institut“, „Atlantikbrücke“, ut momentum politicum quoddam crearent in Germania. Effectus huius momenti cottidie manifesti sunt. Etiam bene scimus hanc sententiam orationis a Bacciballo prasino prolatam: „Tempus cunctandi finem habet. Mihi persuasum est“, ait ista Ricarda, „nos (ceterum: quis est „nos“?) praeberere Ucrainis plus armorum et celerius.“ („Ich bin davon überzeugt, dass wir mehr Waffen liefern müssen, dass wir schneller werden müssen" <https://www.zeit.de/politik/deutschland/2022-10/ricarda-lang-gruene-bundesparteitag-waffen-lieferungen>) Ista Lang et assectatores eius putare videntur bella ab USA gesta iusta et eversiones ab USA magna calliditate inventas legitimas esse. Revera non sunt, immo horribiles et maxime illegitimae sunt. Sed haec omnia adhuc fiunt (<https://www.youtube.com/watch?v=jwnoKjgcHmA>).

Pro certo habeo nos et multos homines consentire eam politicam USA quam celerrime finiendam esse. At eo tempore puto illam spem nostram desiderium solum esse. Cura ut valeas **Naevius**.

d.11.m.Dec. a.2022 h.12:47

**Nicolaus Naevio sal.pl.**

Gratias plurimas, gratias ingentes, care amice, pro relatione tuâ mirabiliter scriptâ! Quam libentissimê publicabo proximâ in Leoninâ. Rectê attingis caput rei: Nos critici consentimus finiendam esse istam amicitiam praetextam atque putativam erga Civitates Unitas, quae reverâ sit obnoxietas sive - ut utar verbo mediaevali - 'vasallitas'. At nemo nostrum certo scit, quanam viâ atque ratione talis emancipatio fieri possit. Haec hactenus. Itaque res nostra manet incerta, sed non experts spei. Dum spiramus speramus. Vale semper pancraticê, mi care Naevi, et otio Dominico unâ cum tuis fruire laetê et iucundê. Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.11.m.Dec. a.2022 h.17.02 h

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, gratias maximas tibi ago; recte - non est amicitia, sed vasallitas. Dictum tritum "amicitiae transatlanticae" inane est. Medullitus VN

d.17.m.Dec.2022 h.11:23

**Nicolaus Naevio suo s.**

<https://www.youtube.com/watch?v=xMRIDnciBDY> Aktuelle Stunde zu Nebenwirkungen der Corona-Impfung am 16.12.22 Martin Sichert (AfD) Matthias David Mieves (SPD) Christina Baum (AfD)

Iste Mievesius incredibili cum impudentiâ in ridiculum convertit statisticam Lausenianam ideoque scandalon totius historiae medicinalis infamissimum necnon passiones et dolores et miseriam hominum innumerorum... Quis hoc potest videre quis hoc potest pati??? **Vale. Nic.**

d.17.m.Dec.2022 h.15:00

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, quid exspectavisti? Imprimis de interpretatione datorum disputaverunt. Omnes deputati qui probabant vaccinationem, etiam vaccinationem obligatoriam postulabant, nunc data sic interpretantur ut placet. Etiam ipse Lausen, ni fallor, dicit data indicare, sed non probare vaccinationem causam super-mortalitatis esse. Pugna interpretationis nunc ardescit - et pugna maximae aciei erit. **Vale semper VN**

d.17. m.Dec. a.2022 h.15:34

**Nicolaus Naevio suo s.**

Care Naevi, vexatus sum sermone MIEVESII stupido et frivolo et impudentissimo audiendo. Scilicet omnes qui aliquo modo culpam contraxerunt, causalem cohaerentiam inter supermortalitatem ingentem et siphunculos coronarios eodem tempore iniectos vehementissimê atque pertinacissimê renegare atque respuere. At nisi istaec iniectio est causa, quaenam res alia??? Fortasse quarantaena et evitatio medicorum timore infectionis effecta? Haec quoque effecta est a gubernatione!--- Iamne audivisti colloquium illud cum Colonello Douglasio MacGregor factum?

<https://www.youtube.com/watch?v=oYXs--smS4w> Russia Ukraine, The TRUTH You Are Not Being Told!

Colonellus in fine leviter attingit etiam gubernationem nostram ("*some lunatics*"), speciatim commemorat Bärbocculam recusavisse, ne Lawrowio manum porrigeret et dicit hoc esse infantile. MacGregor Colonellus Americanus Trumpianus et Iacobus Baud Helvetius quondam officii secreti particeps mihi videntur DE BELLO UCRAINIANO deque Putino et Selensio omnium peritissimi iudicare. Quid tibi videtur? --- Ceterum, mi Naevi, iurisconsulte sagacissime, novistine CASUM GELATI PISTACIORUM? Lege symbolam Wikipedianam et commentarium *Brunonis Schrep* quondam Speculi Hammaburgensis commentator iuridicus. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit et fruire plagâ (brevi paenultimâ, non longâ!) nivali! **Medullitus te salutat Nicolaus.**

[https://de.wikipedia.org/wiki/In\\_dubio\\_pro\\_reo](https://de.wikipedia.org/wiki/In_dubio_pro_reo) "Ein Beispiel für die Anwendung des Grundsatzes *in dubio pro reo* ist der [Pistazieneisfall](#). Die [Indizien](#) für eine [Täterschaft](#) der Angeklagten waren dort so wenig tragfähig, dass der [Bundesgerichtshof](#) dort zu einem [Freispruch](#) der Angeklagten kam." <https://de.wikipedia.org/wiki/Pistazieneisfall>  
<https://www.spiegel.de/panorama/der-ungesuehnte-tod-der-anna-b-a-5db007a4-0002-0001-0000-000015985974?context=issue>

d.17. m.Dec. a.2022 h.18:46

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, recte, bene intellego. Alii sermones mihi vix meliores fuisse videntur; ceterum talia argumenta et pseudo-argumenta cottidie audio domi. Colloquium cum Colonello Douglasio MacGregor nondum audivi; audiam mox. Ceterum, CASUM GELATI PISTACIORUM adhuc nescio. Bene scis, imprimis peritus iuris civilis sum. Ni fallor, de principio „in dubio pro reo“ plus cognoscere vis, quia minister rerum interiorum nostra – ista Nancy Faeser, a me valde, ne dicam: maxime dilecta – nuper locuta est de hoc quod iurisconsulti dicunt „onus probandi“ („*Beweislast*“) et de reversione huius oneris („*Beweislastumkehr*“). --- Primo, „in dubio pro reo“ est

regula spectans ad litigationem criminalem. Regula sane simplex est. Apparet eam esse regulam oneris probandi [quae semper spectat ad decisionem iudicis]. Procurator nomine rei publicae reum accusans probare debet reum commisisse scelus, cuius accusatus est. Si probatio impossibilis est, iudex reum a crimine solvere debet.

Secundo, regula oneris probandi etiam in lite civili valet. Exemplum simplex dabo: Si dicis a me iure postulare posse pecunias tibi solvere, et actionem mihi intendis, tu probare debes causam („*Rechtsgrund*“) eius solutionis. Commutatis verbis: onus probandi tibi est. Nisi tibi probatio possibilis est, iudex actionem tuam repudiare debet („*Klage abweisen*“).

Tertio, scilicet regula oneris probandi etiam valet in lite administrativa. Si rei publicae („*Dienstherr*“) placuit finire munus magistratus, probare debet facta indicantia eum leges non observavisse vel scelera comisisse vel non recte muneribus functum esse vel ineptum esse vel alia. Onus probandi semper est rei publicae, sed non magistratui dimittendo. Itaque reversio oneris in rebus dimissionis mihi videtur indigna esse civitate iuris („*Rechtsstaat*“); apparet regulam revertam magistratum dimittendum in angustias compellere [et praeterea signum diffidentiae generalis esse]: Nunc dimittendus probare debet se omnia recte fecisse et „*mentis rectae*“ esse. Revera probatio quaedam diabolica esset. Intolerabile! Ea de causa propositum Nancy nostrae optima mihi valde displicet. Dubito an sit legitimum. **Vale semper VN**

d.19. m.Dec. a.2022 h.17:01

**Nicolaus Naevio s.**

Nos non egemus harmatibus Pumae! *Anastasia Biefang* imperante cum vexillo arcûs caelestis et Ucrainae equitemus unicornibus rosaceis contra Putinum! Militat omnis amans! Io Triumphe! Victoria nobis est certissima. Vale. Nic.

d.19. m.Dec. a.2022 h.17:18

**Naevius Nicolao s.**

Recte, rectissime! *Anastasia* imperante et ducente nihil mali fieri potest.

d.20. m.Dec. a.2022 h.22:14

**Nicolaus Naevio suo s.**

Usque nunc mihi ista Ursihircina semper visa est puellula stulta neque erudita, facillima intellectu. At nunc dubito! Stultam eam esse neque eruditam manifestum est. Istius vita est obscurissima!!! Quonam modo fieri potuit, ut *Annalena* stupida cursum honorum faceret stupendum??? Quid tibi videtur?.. Ceterum etiam finis cinematii *Compactiani* est dignus spectatu: *Ibidem* enim *Principissa Gloria de Thurn* et *Taxis* affirmat "Nigritanum libenter futuere". Novistine hoc verbum alatum vel potius Dictum *Gloriae* divinum? NLL

d.20. m.Dec. a.2022 h.21:32

**Naevius Nicolao s.**

Quaestio difficilis - mihi revera videntur Annalenae esse fautores validos. Cur tantummodo paulum de vita eius sciamus, nescio. Ni fallor, multi politici habent pactum quoddam cum diurnariis: quid pro quo - nihil de liberis, nihil de uxore, nihil de parentibus - sed multum de me et mea vita publica. Fortasse hoc explanatio simplex est. --- Illud dictum Gloriam scilicet non ignoro. Verbum theodiscum "schnackseln" mihi semper placebat...quid de eius radice?

d.20. m.Dec. a.2022 h.22:44

**Nicolaus Naevio s.**

1) "Schnackseln" dicitur esse verbum dialecti Austriacae onomatopoeicum, est forma intensiva verbi "schnackeln" v. <http://heringer.net/Reizwoerterbuch.pdf> – [https://corpora.uni-leipzig.de/de/res?corpusId=deu\\_newsrawl-public\\_2018&word=schnackseln](https://corpora.uni-leipzig.de/de/res?corpusId=deu_newsrawl-public_2018&word=schnackseln)

2) Ceterum audivistine iam nuntios Latinos Bremenses?

<https://www.bremenzwei.de/themen/latein-nachrichten-november-102.html>

3) EPHEMERIS, in qua etiam EPISTULA LEONINA publicatur, habet novam sedem interretialem: <https://ephemerisnuntii.eu/nuntius.php>

Haec brevissime, mox certe plura. NLL

d.20. m.Dec. a.2022 h.23:07

**Naevio Nicolao s.**

Gratias magnas tibi ago ... etymologia semper iucunda est!

d.22.m.Dec.a.2022 h.22:36

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, gratias tibi ago, quam celerrime audiam. Septimana ante luxavi digitum pedis minimum, in valetudinario fui ut radiographarer; di mihi faverunt: os non fractum est, sed me calceis eunte pes adhuc dolet (et ruber est). Propterea die Martis misi filium ut mitteret epistolium natalicium a me paratum tibi et aliis amicis. Utinam eam mox accipias! Cursus Germaniae publicus nec celer nec certus est eo tempore. Vale semper VN

d.22. m.Dec. a.2022

**Nicolaus Naevio sal.pl.dic.**

Summas gratias, mi care amice, pro chartulâ tuâ pulcherrimê inscriptâ et modo acceptâ! Semper admiror artem tuam calligraphicam atque photographicam. Manifestum est animae tuae inesse eximium quoddam desiderium pulchritudinis et subtilitatis. Quod attinet ad vota tua Natalis Domini et Anni Ineuntis mihi uxori meae oblata, intimo ex animo tibi respondeo: Utinam tu quoque et uxor et filius tuus Festum Natalicium iucundê et tranquillê degatis, utinam annus MMXXIII vobis fiat felix faustusque! Adversus mala publica nobis ambobus, mi care Naevi, studia humaniora amplexis solacio saluberrimo est commercium epistularum Latinum, in

quo excolendo tu quam mirabiliter cottidie progrediaris laetus animadverto. Quamquam multa praesentia sunt adversa, ne umquam desinamus futuris confidere. Mala sanabilia naviter curemus sananda; sed insanabilia feramus animo quam aequissimo. Stoici simus ferentes, fruentes Epicurei. Per aspera ad astra! **Medullitus te salutat Nicolaus.**

## **CORRIGENDA ET SUPPLENDA**


### **EL 266, p.34: NONNULLI LATINITATIS RESUSCITATORES**




**JOSÉ MARIA MIR**  
(1913-2000)



**ANTONIO BACCI**  
(1885-1971)



**CARLO EGGER**  
(1914-2003)



**REGINALD FOSTER**

(1939-2020)

**EL 266, p.44: *Caroli Linnaei (1707-1778)***

**Eheu! Vae Leoni! Qui quinquies erravit in numeris annorum nascendi et moriendi indicandis. Date veniam! Leo Latinus magnas gratias agit *Victorio Ciarrocchi*, sodali sagacissimo, qui me statim certiozem fecerit de istis mendis chronologiae gravissimis.**



# VOTA NATALICIA



Gerrit van Honthorst: Pastores Iesum infantem adorant.

**IN NATALE DOMINI ANNI MMXXII LEO LATINUS TIBI  
CARA LECTRIX, CARE LECTOR, EXOPTAT OPTIMA  
QUAEQUE. UTINAM DEGATIS DIES FESTOS IUCUNDE  
ATQUE PACIFICE.**





## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mandataelae | ISBN              | TITULUS                                                                                     | AUCTOR                     | TRANSLATOR     | ANNUS | FORMA         | AMPLITUDO | PRE-TIUM |
|----|------------------|-------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------|----------------|-------|---------------|-----------|----------|
| 1  | 00104            | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS<br>VERSUTI PALAEOINDICA                                                    | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.     | € 17,90  |
| 2  | 00104A           | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS<br>VERSUTI PALAEOINDICA-<br>Libri audibiles                                | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross | 2005  | Audio         | 21 min.   | € 22,90  |
| 3  | 00204            | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII<br>ALLANI POE: CATTUS<br>NIGER -<br>RANUNCULUS - PUTEUS<br>ET PENDULUM | Edgar Allan Poe            | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 33 pp.    | € 27,50  |
| 4  | 00304            | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO<br>BELLO BORUSSICO<br>FACTAE                                           | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 6 pp.     | € 17,90  |
| 5  | 00304A           | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO<br>BELLO BORUSSICO<br>FACTAE –Libri audibiles                          | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross | 2004  | Audio         | 6 min.    | € 20,90  |
| 6  | 00404            | 978-3-938905-03-6 | <b>MEMENTO MORI</b>                                                                         | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.     | € 17,90  |
| 7  | 00404A           | 978-3-938905-17-3 | <b>MEMENTO MORI –</b><br>Libri audibiles                                                    | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross | 2005  | Audio         | 20 min.   | € 21,90  |
| 8  | 00504            | 978-3-938905-04-3 | <b>DE CRAMBAMBULO</b>                                                                       | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 14 pp.    | € 19,50  |
| 9  | 00604            | 978-3-938905-05-0 | <b>DE DINOSAURIS</b>                                                                        | Nikolaus Gross             | -----          | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 16 pp.    | € 19,00  |
| 10 | 00704            | 978-3-938905-06-7 | <b>SUDATORIUM VENERIS</b>                                                                   | Diogenes Anaedouus         | -----          | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 11 pp.    | € 19,50  |
| 11 | 00804            | 978-3-938905-07-4 | <b>PERICULUM FRANCISCI</b>                                                                  | Diogenes Anaedouus         | -----          | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.     | € 17,90  |
| 12 | 00904            | 978-3-938905-08-1 | <b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>                                                                  | Bertolt Brecht             | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 21 pp.    | € 22,00  |
| 13 | 01004            | 978-3-938905-     | <b>TESTAMENTUM</b>                                                                          | Henricus van den           | -----          | 2004  | CD-           | 7 pp.     | € 17,50  |


|    |         |                   |                                                                            |                               |                |      |            |         |         |
|----|---------|-------------------|----------------------------------------------------------------------------|-------------------------------|----------------|------|------------|---------|---------|
|    |         | 09-8              |                                                                            | Lande de Raelt                |                |      | ROM pdf    |         |         |
|    |         |                   | <b>REYNERI BERLBYN</b>                                                     |                               |                |      |            |         |         |
| 14 | 01104   | 978-3-938905-10-4 | <b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>                              | Nikolaus Gross                | -----          | 2004 | CD-ROM     | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204   | 978-3-938905-11-1 | <b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>                                               | Jacob Grimm/<br>Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105   | 978-3-938905-12-8 | <b>ROMULUS MAGNUS</b>                                                      | Friedrich Dürrenmatt          | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205   | 978-3-938905-13-5 | <b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>                                          | Gerhart Hauptmann             | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305   | 978-3-938905-14-2 | <b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>                                          | Christoph Martin Wieland      | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405   | 978-3-938905-19-7 | <b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>                                     | Johann Wolfgang von Goethe    | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 0050 5A | 978-3-938905-22-7 | <b>CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 –</b><br><br>Libri audibiles | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio      | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 0060 5A | 978-3-938905-18-0 | <b>SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM –</b><br><br>Libri audibiles      | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio      | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 0070 5A | 978-3-938905-23-4 | <b>CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 –</b><br><br>Libri audibiles                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2005 | Audio      | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106   | 978-3-938905-21-0 | <b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>                                             | Nikolaus Gross                | -----          | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206   | 978-3-938905-20-3 | <b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM</b>         | Karl Friedrich Kilmeyer       | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 0030 6A | 978-3-938905-24-1 | <b>CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 –</b><br><br>Libri audibiles                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2006 | Audio      | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 0040    | 978-3-938905-     | <b>CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2</b>                          | M.T. Cicero                   | -----          | 2006 | Audio      | 41 min. | € 21,90 |

|           |                    |                                    |                                                                                  |                                    |                   |      |                   |         |         |
|-----------|--------------------|------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
|           | <b>6A</b>          | <b>25-8</b>                        | <b>-</b><br><b>Libri audibiles</b>                                               |                                    |                   |      |                   |         |         |
| <b>27</b> | <b>0050<br/>6A</b> | <b>978-3-<br/>938905-<br/>26-5</b> | <b>EPISTULAE A SENECA AD<br/>LUCILIUM SCRIPTAE 1 –</b><br><b>Libri audibiles</b> | L.A.<br>Seneca                     | -----             | 2006 | Audio<br>(2 CDs)  | 88 min. | € 27,90 |
| <b>28</b> | <b>00107<br/>A</b> | <b>978-3-<br/>938905-27-<br/>2</b> | <b>ASINUS AUREUS AB<br/>APULEIO SCRIPTUS</b>                                     | Apuleius                           | -----<br>--       | 2007 | Audio             | 55 min. | € 23,90 |
| <b>29</b> | <b>0020<br/>7A</b> | <b>978-3-<br/>938905-28-<br/>9</b> | <b>OBSIDIO SAGUNTI A<br/>T.LIVIO DESCRIPTA</b>                                   | Livius                             | _____             | 2007 | Audio             | 53 min. | € 23,90 |
| <b>30</b> | <b>00307</b>       | <b>978-3-<br/>938905-29-<br/>6</b> | <b>FABELLAE GRIMMIANAE<br/>II</b>                                                | Jacob<br>Grimm/<br>Wihelm<br>Grimm | Nikolaus<br>Gross | 2007 | CD-<br>ROM<br>pdf | 58 pp.  | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SEPTIMAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE**

**PERFECIT**

**in Vigiliâ Nativitatis Domini  
24. m.Dec. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**